


H,

GEORG. GOTTLOB.

RICHTER

MEDICINÆ QUONDAM DOCTORIS, MAGNÆ BRITTANNIÆ REGIS CONSILIARII AULICI ET ARCHIATRI, MEDICINÆ IN ACADEMIA GOETTINGENSI PROFES. PRIMARII, &c.

PRÆCEPTA DIÆTETICA



HEIDELBERGÆ ET LIPSIÆ,

SUMTIBUS FRATRUM PFÆHLER, BIBLIOPOL. UNIVERS. HEIDELBERG.

1780.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

BIBLIOPOLA LECTORI.

Haud exiguo rei litterariæ atque medicæ cumprimis emolumento accidiſſe videtur, ut ſingulari quodam fortunæ caſu, aut potius beneficio præſentis opuſculi manuſcriptum in manus noſtras pervenenerit; cui quantum ab *auctore* ſuo pretium, quanta commendatio accedat, neminem latebit, niſi qui, quantus ac qualis vir fuerit, celebratiſſimus ille Medicinæ quondam in Academia Gœttingenſi Profeſſor primarius, immortalis *Richterus*, ignoraverit. Tanta vero eſt ejus in orbe literato fama, ut eum vel nominaſſe, ſatis ſuperque deprædicaſſe ſit.

Comprobant hanc famæ celebritatem, augent & amplificant opuſcula medica ab ipſo olim conſcripta & ſeorſim, ut in academiis fieri amat, edita, nunc vero laudabili ſane opera, pluriumque votis expetita, a nobiliſſimo viro, Ackermanno,

Medices pariter Doctore, undique conquisita, atque in unum fasciculum collecta & colligata, publicæ luci & communi Eruditorum usui exposita. Qua quidem in collectione adornanda quam bene & de celeberrimo avunculo suo, & de universa republica literaria meritus sit nobilissimus Ackermannus, non est quod moneam; quum & illius memoriam prudenti hoc consilio eo certius ab oblivione vindicarit, & hanc pretioso eruditionis thesauro in omne posthac ævum securius conservato locupletarit.

Nos, quibus fortuna favente insignis thesauri hujus a Richtero relicti portio obtigit, exemplum nobilissimi Ackermanni imitati, in eandem cum ipso laudis & studii publicæ utilitatis partem venire lætamur, quum opus hoc diæteticum nunquam ab auctore suo, pluribus jam annis beata vita functo, typis mandatum, neque ab alio hactenus, ne ipso quidem laudatissimo cæterorum opusculorum collectore prelo commissum, neque proxime, quantum nos cognovimus, ab ullo committendum, in publi-

cam lucem proferamus, ut nova hac ſcriptorum acceſſione facta & novus auctori, ſi fieri poſſit, gloriæ cumulus accedat, & orbis literatus utiliſſimo hoc ſcripto non defraudetur.

Quare, cum juſtus erat metus, ne opus tam præſtans idem cum multis aliis experiretur fatum, ut demum intercideret, niſi excuſum proſtaret, noſtrum de eo edendo conſilium adeo non reprehendendum eſſe videtur, ut gratiam potius ab omnibus nos iniiſſe confidamus, vulgatum a nobis eſſe librum, non minori præconio dignum, quam quod opuſculis academicis ejuſdem auctoris a celeberrimo Wittenbergenſium Profeſſore *Trillero* in præfatione editioni opuſculorum adjecta jure optimo tributum fuit.

Habes igitur, lector benevole, librum cum elegantiſſimum, quem quidem *Richteri* eſſe, & ab eximio verborum cultu, & ab eleganti perſpicuitate & a ſtylo facili, terſo ac nitido, ſi eum cum aliis ejuſdem auctoris ſcriptis comparaveris, primo ſtatim fronte deprehen-

des; tum utilissimum quoque & usus amplissimi, quippe qui non Medicorum solum ordini, sed omni omnino hominum conditioni inservit atque conducit, dum saluberrima de valetudinis ratione habenda, deque vita ad extremam vegetamque senectutem protrahenda præcepta cuivis ætati, sexui, temperamento, ordini tradit, quorum ad normam si vitam direxeris, firmam ad seros usque annos valetudinem experiri dabitur, quam tibi ex animo precor atque exopto. Quæ inscio irrepserunt vitia typographica, uti & alios errores; quos, in quantum industria potuit, evitare studui, proposito faventes nec rigidi nimis lectores facile condonabunt; si vero curate & nitide omnia, ut quidem animus erat, perfeci, utere iis candide lector, fave ingenuis conatibus, & vale. 1780.



PROLEGOMENA.

THESIS I.

Diætetica tutelam bonæ valetudinis per res illas, in quarum perpetuo commercio ſumus, dirigit; & non eſt vaga juvantium & nocentium notitia: ſed quæ omnes ſanitatis ſcopulos, in perverſo rerum illarum uſu obvios, & tot ſæculorum attenta obſervatione penitius cognitos, juſto ordine tradit, & quantum fieri poteſt, in omni actionis ſuæ limite expendit. Simulque præcepta complectitur, illis emendata vitæ ratione occurrendi. Plus meriti habet, qui morbi imminentis periculum perſpicit, & provide ſub primo ſtatim ingreſſu arcet, quam qui natum jam morbum & viribus adultum, majori longe & ancipiti magis artis molimine oppugnat. Omnium intereſt de valetudinis ſuæ inſidiis, & qua ratione contra illas vigilandum ſit mature edoceri.

THESIS II.

Corpus humanum ex partibus tam fluxis & caducis coaluit, ut inter ipſos vitæ & ſanitatis motus inevitabili neceſſitate corruat; nec illa per plures annos perennitas, ob quam amiſſa perpetuo reparantur, aliis debeatur, quam divinis ſapientiſſimæ fabricæ legibus. Velut una apparet candelæ flamma, quæ tamen omni momento ex pabulo ſubſiſtit: ſic vita humana omni momento inter perpetuas partium jacturas alia & non unum ſed multa ſenſim corpora conſumens.

THESIS III.

Duplex igitur durabilitatis noſtræ lex eſt quæ id primum poſtulat, ut partes vitali motu attritæ, & hinc in noxiam indolem degenerantes, ſine mora, quæ plus corrumpit, expellantur. Deinde hoc, ut eaſdem dotes pro miniſterio corporis & exercitio functionum neceſſarias, quas illæ expulſæ ante ſuam ex attritu corruptionem habebant partes, quæ nunc ſuccedunt ex ingeſtis coctione internorum viſcerum mutatis & aſſimilatis ſuſcipiant.

THESIS IV.

Ita duplex probæ diætæ conditio eſt; altera juſtis excretionibus repurgandi corporis intenta, & per vias alvi, renum, cutis aliasve detrita, noxia, ſuperflua tempeſtive eji-

ciens; altera in perditis reparandis occupata, quæ non modo vim viſcerum, ingeſta ſalubriter mutantem, poſtulat, ſed & quantitatem reſtituti indigentiæ corporis convenientem. Nam velut parcius ingeſta non ferunt ſuppetiarum ſatis corpori exhauſto; ita ultra indigentiam aſſumta, vel in cruditate ſua perſiſtunt, vi viſcerum coquentium ſuperata, vel etiam, uti par eſt, cocta & ſubacta nocent opprimuntque ipſa copia, nec naturali excretione, cujus certus, judice Keilio, terminus eſt, tolluntur.

Thesis V.

Igitur medicus ad offenſas valetudinis ſub juſtis oppoſitæ Diætæ legibus attentus bene init expulſi ingeſtique rationes; quem calculum ambiguum reddere videtur eorum, quæ inſenſibili halitu diſſipantur, ignorantia. Hanc vero vicit primum Sanctorius; plus inſenſibili, quam omni ſenſibili diſpendio perdi, docet. Adeoque majorem illius, quam hujus curam requirens. Ceterum ad pondus corporis ante & poſt excretionem ingeſtionemque omnia ſub medicinæ ſtaticæ experimentis revocans.

Thesis VI.

Superat illam calculi ſubtilitatem ipſa naturæ providentia, quæ neceſſitatem amiſſi reparandi juſtioribus cancellis per famis ſi-

tiſque ſtimulos circumſcribit. Modo gula luxus amantior, nec tot errorum exemplis in tranſverſum rapta, ad hos ſtimulos docentis naturæ ſollicite attendat, nec inter tot vitæ errores ſupprimat vel corrumpat.

THESIS VII.

Variam illam egerendorum & ingerendorum indolem Diætetica in claſſibus rerum non naturalium exponit, & conſervandæ ſanitatis uſibus accommodat. Vocamus res non naturales, res circa nos in perpetua actione poſitas, quæ cauto & moderato uſu ſanitatem tuentur; incauto & immoderato perdunt. Hujus loci ſunt, primum quæ ingeruntur, ut aër, cibus & potus. Deinde quæ in nobis geruntur, ut motus & quies, ſomnus & vigiliæ ac pathemata animi. Porro quæ tempeſtive excernuntur & retinentur. Denique quæ corpori externe applicantur, ut veſtimenta, frictus, balnea & alia. In more tamen poſitum eſt, ſex rerum harum claſſes conſtituere: *prima* aërem, cibos & potum conſiderat: *ſecunda* motum & quietem: *tertia* ſomnum & vigilias: *quarta* pathemata animi & uſum veneris: *quinta* excreta & retenta: *ſexta* externe applicata, quæ omnia in tutelam ſanitatis conſiderare, & in omni limite noxæ & ſalubritatis explicare, animus eſt.

Thesis VIII.

Alia licet ſanorum Diæta ſit, alia ægrorum, utraque tamen circa eaſdem res verſat, modo quod poſterior ſtrictiora vincula injiciat, ſub cautiori delectu, viribus morbi magis oppoſito. Nos hic rationem præſertim ſanorum habemus, non tamen omiſſuri prorſus, quæ vires vitæ in ægris ſuperſtites, Diæta propius congruente, tueantur.

CAPUT I.

DE AERE.

Thesis I.

Aër, ſine quo vivere nemo vel per momentum poteſt, cum ſine cibo diu ſatis poſſit, primum in diæteticis conſiderari debet, tanquam potior crebriorque ſanitatis & morborum cauſa, tum ratione propriæ naturæ, tum ratione miſcelæ alienæ. Igitur in omnibus viribus ſuis lædendi juvandique expendere decet, ut conſtet, ſub qua conditione ſalubris, ſub qua noxius evadat.

Thesis II.

Aër purus vi propriarum facultatum triplex habet agendi momentum, in fluiditate, gravitate & elaſticitate poſitum.

Thesis III.

Ob fluiditatem ſuam leviſſimo motu auſcultantem, nullo adſtrictus gelu coit, nullo denſatus pondere ſolideſcit: omnibus aliis fluidis promte miſcetur: pleraque etiam concreta corpora ſubit, & inter ea ſine coalitu latet: ruptis vero carceribus, ad ingenium ſuum redit. Mobili illa tenuiſſimarum partium lubricitate intrat non modo fere omnia & permeat, ſed & inſitas corporum vires excitat. Nihil enim ſine aëre fermentatur vel putreſcit: nullum ſine eo menſtruum ſolvit: nullus ſine eo ignis ardet. Sunt tamen corpora quædam, quæ ægre vel non permeat, ut ligna denſa, lapides, metalla, corium, charta &c. ubi tamen aqua, ſpiritus, mercurius, lixivia ex parte promtius tranſeunt.

Thesis IV.

Aëris gravitas, quam primus Doricellius ad menſuram revocavit; ad ſenſum magis Otto Gœricke; ſuis deinde uberius experimentis illuſtrarunt Paſchalius, Boyle, Mariotte & alii. Reſpondet columnæ aquæ in altitudine triginta trium pedum, mercurius in barometro ad viginta novem pollices anglicanos ſuſtentatus æquivalet preſſioni totius columnæ aëreæ in loco humili maritimo. Differt vero gravitas aëris nunc denſati nunc

rarefacti, tam pro gradu altitudinis, quam pro varietate tempestatum & meteororum. Summum pondus æquilibrat cum mercurio adscendente ad triginta pollices & dimidium; minimum pondus ad viginti septem & dimidium. Ista igitur vi premit aër, eo semper plus, quo propior telluri est, & latera tunc corporum fortius distendit.

T H É S I S V.

Elasticitas, qua corpus in minus spatium vi premente redigitur, & ea remittente se ultro restituit, aërem ab omnibus aliis fluidis distinguit. Magis autem in eo compresso quam rarefacto apparet. Persistit in aëre puro multis annis inclusus. Omnis vero caloris mutatione nunc expansus nunc constrictus, oscillat perpetuo, & sic corpus, cui inhæret, in constanti motu esse, vero simile videtur. At negari nequit, aërem in minimas partes divisum, separatim latere intra liquidorum meatus, & tunc sine effectu elastico quiescere, ut in sanguine, chylo, lacte & unde se expedire nullo sani hominis calore potest. Quod si vero vis major ignis & frigoris, vel vis effervescentiæ aut putredinis rumpit hæc vincula, emergens aër & in suis iterum partibus coiens, pristinam elasticitatem recuperat. Et sane letalis esset, ut injectio probat aëris elastici in sanguinem ingressus, qui sub vitali calore mutaret ni-

mis fluidorum moleculas & vaſorum diametros.

THESIS VI.

Atque hic aër in ſua fluiditate, gravitate & elaſticitate omnis corruptelæ expers eſt, quam demum ſuſcipit vitio variarum, quæ ſe miſcent, exhalationum. Ubi impuro ſæpe halitu infectus, morbos epidemicos & endemios cum gravi valetudins noxa parit & diſtribuit. Vel ut miſcela ignei elementi vario gradu aërem calidiorem vel frigidiorem reddit; ita reliqua miſcela humidiorem vel ſicciorem. Attolluntur non ſolum halitus aerei, ſalini, nitroſi, vitriolici, ſulphurei, terreſtres ſed & compoſita magis corpora, ut ſemina, quæ rapta per aërem plantas in altis turribus gignunt. Atque hæc omnia mutant varie virtutes aëris in negotio ſanitatis a nobis determinandas.

THESIS VII.

Aëri igitur primo & præcipuo loco ſe miſcet igneum elementum, & per eum æquabiliter vi eadem ac copia, quam per reliqua corpora & ipſum vacuum diſtribuitur, docente thermometro. Acquirit aër aſſociato igne novum momentum ſe expandendi. Reſpondet vero expanſio gradui denſitatis, quo denſior aër eſt, eo magis fit igne elaſticus, quo rarior, eo minus. Hinc in ſummitate athmoſphæræ vix ad ſummum ignem creſcit

vis elaſtica. Attendimus igitur intuitu miſcelæ partium ignearum pro uſu diætetico magnopere ad aëris frigidi & calidi virtutes & noxas.

Thesis VIII.

Frigidus aër, qui elementi ignei minus continet, graviori incumbens pondere, & plus ſtringens vaſa & denſans, aliter robuſtos, aliter debiles afficit. In robuſtis plus nativi caloris, plus coctionis & roboris conciliat. Hinc ventres hieme calidiores & magis digerentes Hippocrati vocantur. Nam ille aër perſpirabile quidem, ob meatus minus patentes, aliquamdiu ſupprimit; id vero ſine noxa ob vires ſimul creſcentes & mox vegetius diſſipantes; a vaſis enim frigore arctatis reſiſtentia creſcit contra impetum affluentium a corde humorum; hinc major ſequitur ex attritu calor: crudi coctio, perſpirabilis (materiæ) attenuatio & expulſio: ſic robuſtorum in aëre frigido obambulantium major agilitas, calor, & ponderis levitas naſcuntur. Imo veſtibus parum tecti, frigus, quod partem perſpirabilium ſupprimit, non ferunt incommode, & injuriis aëris inde ſalubriter adſueſcunt.

Thesis IX.

Non eadem in debilibus ratio locum habet; in his enim internus motus langui-

dior ob vaſa per ſe laxiora, & cauſæ comprimenti facilius cedentia, ſuffocatur potius a frigore, quam ſub attritu tam parvo intenditur. Unde frigus, languor & ſenſus ponderis, ita ut meritò a valetudinariis arceamus frigus, niſi lene ſit. At ſciant hi ipſi ſe ſemper infirma valetudine laboraturos eſſe, niſi ſenſim & inter providos gradus frigori adſueſcant.

THESIS X.

Veluti frigus pedetentim natum naturæ quæ omnem lentam mutationem ferre diſcit, moleſtum vix eſt: ſic contra frigus ipſi aëri calido & æſtivo ſuperveniens, vel etiam omnis ſubita translatio corporis ab aëre calidiore in frigidiorem tantum non lædit omnes, dum partim vaſa cutanea perſpirabili materia turgida, nunc in majori perſpirationis molimine ſupprimantur; partim ipſum retentum perſpirabile ſub prægreſſo calore exaltatum magis & ad putredinem pronius, non fert impune expulſionis moram, nec ſine gravi damno intro redundat. Bene hic gradum frigoris ſimul cum duratione ejus notamus: læduntur manifeſtius, qui jam ante ſuſceptum frigus ponderoſiores, levari non aggravari debebant. Levant vero hos excreta, gravant retenta, vix priſtino nedum novo oneri ſufficiunt, vix in ſtatu ſolito excutiunt ſuper-

perflua, nedum in illo, qui imbecillis jam organis perſpirationis novam ſubitamque injuriam infert. Hinc decubitus interni & ſtaſes circa infirmiora maxime loca corporis conſtantius figuntur.

Thesis XI.

Huc pertinet obſervatio; moderate calentes minus ab exceſſu frigoris lædi, quam valde excalefactos ab aura jucunda, frigidiuſcula, cujus lenocinium captant. Plus noxæ inſtat, ſi aura ejusmodi jucunda imprimis auſtrina poſt vel inter exercitia afflat. Nam ab aura illa pendet non ſolum inhibita perſpiratio, ſed & ab exercitio perſpirabilis materiæ, quæ intro redundat, major acrimonia. Refer huc aërem ad ſenſum frigidiorem, quem flabella in gratiam æſtuantium adſpirant. Licet enim ille (aër) frigidior non ſit reliquo aëre, quandoquidem ventus in illo aëre ipſis follibus actus non mutat thermometron. Eſt tamen in corpore, quod ambit, tepefactus, hinc perpetuo flabellis diſſipari nequit, quin ſuccedat aër, temperie quidem ſimilis, verum illis corporis halitibus nondum tepefactus, hinc neceſſe eſt a flabellis refrigerari corpus ad ſenſum & ob repulſum perſpirabile & externum humorum attritum calidius fieri & ponderoſius. Nam ille afflatus faciem, collum & pectus, & partes cordi propio-

res tangens ac perſpirabile ibi ſupprimens, plus ipſum caput infeſtat. Ita qui in locis fervidis veſperi a cœna ſub dio ſedent, veſtimentis leviter tecti, graves experiuntur ad caput metaſtaſes; quia non tam infernum corpus a cœna pleniūs, quam ſuperne afficitur, & mox imminente nocte ipſe ſitus corporis plus ad caput derivat.

Thesis XII.

Quoniam in aëre frigido corpus tectum plus perſpirat, quam nudatum in aëre calidiſſimo: Præſtat ex conſilio Sydenhami ad arcendum frigus ſubitum & conſervandam ſalubrem & æquabilem perſpirationem, veſtes hiemales ſub primum autumni ingreſſum induere, nec niſi adulto vere ponere. Præſtantior tamen regula Cheynei videtur, ſub leviori amictu mature adſueſcere ſenſim injuriis aëris.

Thesis XIII.

At illud notatu dignum eſt, retentum perſpirabile apud debiles hieme, apud robuſtos in æſtate in lotium uerti. Contrario aluinis fluxibus robuſti per hiemem, debiles per æſtatem tentantur. Gorterus quidem ſemper debiles ſtatuit, retentum perſpirabile per lotium ejicere. At licet verum ſit, omni tempore debiles parum perſpirare: negari tamen nequit, moderata hieme, in

qua vegetiores ſunt, plus ad renes, æſtate, in qua plus languent viribus, retenta ad aluum deriuari. Robuſtis per ſe æſtate ſiccioribus, & tempore æſtivo plus ſiccatis aluus minus auſcultat, hieme ſolutior, ubi plus edunt. Ratio ex parte quærenda eſt in ipſis viis primæ coctionis, quæ debilius peracta proximis viis aluinis excernit, peracta fortius magis renalibus.

Thesis XIV.

Aliter longe frigus ſe habet in motu, aliter in quiete, ubi ſumma perſpiratio, hic minima. Hinc exercitia corporis aëre frigidiori aucta robuſtos exhauriunt ad animi deliquium; ſimulque ingentem voracitatem pro ſarciendis amiſſis pariunt, non alio, quam ſolidiori pabulo ſedandam. Hinc qui nivea tempeſtate ad boreales regiones tendunt, vix cibo carere per aliquot horas poſſunt; cum qui per calidiores regiones itinera faciunt, vix ſemel de die cibum appetant. Generalis hinc lex eſt, hieme liberalius edendum eſſe, bibendum parcius.

Thesis XV.

Frigoris extrema & funeſta vis eſt in quieſcentibus, dum conſtrictis ſolidis, & coagulatis liquidis vitalem motum ſenſim ſufflaminat. Quia partes maxime externas invadit, illæ, primum diris doloribus affec-

tæ, mox ſenſus motuſque expertes cadunt gelatæ & fragiles, inprimis liquida in ore faucibus, naribus diſtillare ſolita, ſub propiori magni frigoris attactu figuntur, mox pulmonum arctata vaſa pariunt anhelitum, venoſuſque ſanguis intra vaſa rigefacta immobilior, injectis illis pedetentim intro vinculis, motum ad ventriculum cordis ſiniſtrum ægre reperit, ut inde parum perveniat ad cerebrum, & hoc ab opere ſecretionis quieſcens, ægros ſomno ſepultos leniter exſtinguat. Plus ubivis nocet molimen regelandi per calida, quæ motu & calore deſtruunt. Ita quidem facilius pereunt debiles & quieſcentes, extremo tamen frigore etiam robuſtos perire pulchre illuſtrat Batavorum exemplum in Islandia.

THESIS XVI.

Aër moderate calidus, qui in ſuperficiem corporis minori gravitate incumbit; aptior eſt, ut cum Liſtero dicam, evocare quicquid eſt, perſpirare idoneum; certe ſana corpora & perſpirabili materia referta, per patentiores tunc exhalantium vaſorum meatus liberius perſpirant cum levamento ponderis & interno refrigerationis ſenſu. Sine noxa hoc diſpendium eſt; quia vaſa per calorem laxata, priſtinum pondus humorum non ferunt, inprimis talium, qui ſub calore facilius accreſcunt & corrumpuntur.

Thesis XVII.

In aëre magis calido dispendium sine noxa non est, & ingens lassitudo sequitur, non crescenti ponderi, sed decrescenti robori tribuenda. Auctior ergo perspiratio, justo plus lymphæ & spirituum eripit, ac quicquid calori dissipanti facilius obsequitur. Vires unde interni roboris disperguntur, ob diminuti & rarefacti humoris vasorumque jam laxorum inertiam; unde motus imbecillior.

Thesis XVIII.

Æstate ad libras tres circiter leviora sunt corpora quam hieme. Idque omnino saluriter, si æquilibrium conservatur inter partes solidas, calore æstivo relaxatas; adeoque debiliores, & inter molem liquidi circumagendi. Quæ diminutio ponderis, cum circa ingressum æstatis, ob varia adhuc incidentis frigoris impedimenta, non illico contingat, molestum caloris sensum & lassitudinem percipimus, evanescentem sensim perseverante calore subsequentium dierum. Si secus somnus diurnus vel nocturnus magna perspiratione, vel etiam sudore superfluum eliminat, vel etiam tunc suggestis ab arte diaphoreticis ad justam ponderis mensuram reducit.

Thesis XIX.

Frigus & calor, quamdiu vegetiorem corporis actionem non labefactant, grata sunt ipso sensui. At minuit hanc gratiam, veluti ipsam actionem illius (corporis) superveniens, inprimis subito, calor refrigeratis, frigus excalefactis. In priori statu laxantur vasa, liquidiora dissipantur, pondus æque ac robur minuitur, cum majori ad motum impotentia. Oppositus status etiam deterior est, dum figit ad excretionem parata, & pondus auget. Id illustrat vernalium morborum mitior genius, autumnalium sævior.

Thesis XX.

An in aëre majoris caloris, quam qui sanguinis humani est, vivere homo possit, quæritur. Gradus caloris in corpore humano ad gradum thermometri 92-94 circiter adscendit, igitur ad illum gradum, qui major est, quam in aëre æstivo meridiano sub æquatore. Negari quidem nequit, calida balnea, in quibus facile per horam moramur, sæpe ad gradum 112 adscendere, & longe ultra mensuram in officina, in qua excoctum saccharum siccatur, cujus conos tollere subito ingressu & egressu solent. Imo in Africa occidentali thermometron Reaumur gradum notavit, qui sexta parte superavit calorem hominis. At non hic quæstio

eſt de aëre, quousque inter varia etiam artis tentamina incaleſcat, ſed quem calorem naturalem conſtantemque habeat, ſub quo vivant incolæ incolumes. Quodſi igitur nova experimenta docuerunt, eſſe alicubi gradum caloris, qui thermometri gradum 94 ſuperat; ipſe tamen hic calor erit inferior calore hominum ibidem in ſanitate viventium. Cum enim omnia corpora in communi aëre, communem caloris temperiem habeant, agnoſcendum eſt, eandem non ſolum habere ibidem corpora humana, ſed & propriam ex interno attritu natam, adeoque majorem.

THESIS XXI.

Sicuti calor aëris, nos ambiens & reſpirationi ſerviens non accedit ad calorem corporis noſtri, ita neque hunc ſuo ingreſſu augere poteſt; nuſpiam quidem igni præcluſus aditus eſt. Verum legibus motus ejus repugnat: a loco minus calente in locum magis calentem diffundi: ita ignis fornacis excalefacti exit in cubiculum, non ex hoc in illum. Sentire tamen tunc corpus ais majorem gradum caloris: id fit, quia languet vis cordis & muſculorum, ob imminutam extremorum reſiſtentiam.

THESIS XXII.

Hæc eſt ſeries omnium in corpore mutationum ex ſolo caloris exceſſu. Diſſipat ille

calor attactu ſuo humida partium, quibus opus eſt, ut perpetuo irrigentur. Maxime exſiccat partes proxime expoſitas, ut oculos & nares: Unde incolis ferventiorum regionum præmatura cœcitas, & dum crebro calidas arenas permeant, abolitus olfactus. Sic perdit pulmo ſub motu in cælo æſtuante neceſſariam ſui lubricitatem, dum ſiccus aer inſpiratur, humidus redit, & ſanguis immeabilis fit per vaſa contracta. Ita & magnum eſt liquidi diſpendium inter vaſa cutanea perpetim exhalantia: Quod remanet, fixum craſſumque fit cauſa proxima obſtructionum maxime intuitu impeditarum ſecretionum. Ita coctio languet, & appetitus ob lympham gaſtricam jam parce ſecretam; ſtranguria frequens eſt ab urina acri & minus diluta; aluus obſtructa ob defectum liquidi aluini, quod vias aluinas lubricat; infarctus mox vaſorum hypochondriorum, quo ſemper craſſior ſaburra decumbit. Facit exceſſus caloris, ut minora vaſa inprimis lymphatica & neruina, liquidis ſuis exhauſta & ſiccata ſenſim rigeſcant: In reliquis vero humoribus, ſalia & olea prius per aquam involuta, nunc ſub motu magis evoluta, accreſcant: Accedantque acutæ febres, vel in debilioribus ſcirrhoſos viſcerum infractus pariant.

Thesis XXIII.

Secundo & poſt elementum igneum præcipuo loco inhæret aëri ingens copia aquæ, quod nos nebulæ, pluviæ , pruinæ , grandines , nives &c. ultro teſtantur ; & Haleſio in ſtaticis plenius evincitur illa immenſa quantitas aquæ , quam tot animalium & vegetabilium genera , & tanta inprimis marium ſuperficies perpetim exhalant. Ex Kruquio diſcimus , aquam quotannis ad xxx circiter pollicum altitudinem cadere in terram , & inde exhalare. Ita aqua ſtatim nebula opacat interiora vitri , cujus aërem antlia exhaurit : ſal alcalinus fixus , ſummo igne ſiccatus , mox in vitrea patina aëri expoſitus , tantum inde allicit aquoſi , ut jam fluidum pingue ſit , & triplo ponderoſius , ex quo pura aqua deſtillatur : neque tamen in aere pars aquæ hærere major , quam 850, (poteſt) , alioquin totum pondus aëris ſoli aquæ deberetur. Aër vero aquoſis illis refertus , multum elaſticitatis ſuæ perdit.

Thesis XXIV.

Aëris humidi gradum deſignant Noteometra , vel per pondus corporis bibuli appenſum bilanci in æquilibrio , adeoque aëre humidiori præponderans , vel per elongationes & accurtationes chordarum pro menſura abſorpti humidi. Ipſe quoque ſenſus

frigoris in aëre humido, major huc referri poteſt, prior modus plus docet; non tamen ea fide, qua Barometra gravitatem, Thermometra calorem aëris determinant.

Thesis XXV.

Aër humidus ante inventa Barometra ponderoſior habitus eſt. Certe ſub illo creſcit ſenſus ponderis, id quod plebem non modo, ſed etiam eruditos fefellit. Hodie conſtat, flante auſtro, ſub quo languent corpora, ſub ſenſu ponderis omnino leviorem eſſe, & ſpirante borea graviorem, ſub quo tamen corpora leviora ſentiuntur. Ideo vero aër ſerenus, ſiccus, perſpicuus, gravior eſt, quam nebuloſus, horridus, opacus: quia omnino nunquam plus aquæ eſt in aëre, quam ubi nihil vel parum ob ſiccitatem cœli adeſſe videtur; nempe tunc magis diſperſa aqua & adſcenſu ſuo per majora ſpatia, & ſub leniori miſcela diffuſa eſt, in humida tempeſtate aqua ſuper tellurem parum eſt elevata, hinc ob levem & imperfectam miſcelam facilius ſecedit; id quod clariſſime Barometra demonſtrant.

Thesis XXVI.

Aër humidus corporis pondus auget ingreſſu aquoſi, id maxime fit in corporibus exinanitis, ſiccis, inediam & laborem perpeſſis, idque noctu magis & in dormienti-

bus, quam de die & in vigilantibus. Vacui hic meatus ſunt, & ad recipiendum ſub externo impulſu proniores. Keilius cujuſdam meminit; cujus corpus una nocte drachmas xviij ex aere humido attraxit. Illa humiditas promte ſubit debiliora corpora, ægrius robuſtiora; quia hic potentius eſt arteriarum exhalantium, ibi reſorbentium venarum officium. Motus languens debilium, dum minus ſuſtentat perſpirationem, minus reſiſtit ingreſſui externi aquoſi.

THESIS XXVII.

Aër humidus eſt quaſi perpetuum balneum laxans, quo flaccefcunt ſolida & macerantur, humida ſiſtuntur & accumulantur, cum augmento ponderis ad ſenſum & ſtateram. Quo diutius aër humidus alluit corpus, eo major ſequitur inertia ſolidorum, & corruptela fluidorum. Maxime vero pulmo in bronchiis, quæ aërem vehunt, læditur ab aëre humido, quippe haud abſtergente ſatis, & nimium humidi ſub inſpiratu relinquente, vireſque ſolidi expellentis labefactante. Unde ob bronchia ad ultimas veſiculas humido oppleta & expanſa, oriuntur tuſſis, catarrhales febres, aſthmata, & ſtaſes inflammatoriæ ſeri. In reliquo corpore ex eadem cauſa abundantis humidi lentior motus, colluvies ad hydropem uſque, ſtaſis & lentor in minimis cum pi-

gritie animi & morofitate nafcuntur. Bene in hac caufa natura confulit, fi largiori fluxu alvino, vel fudoribus vel diurefi, imminentia valetudinis damna præcavet.

Thesis XXVIII.

Aër humidus fub acceffu caloris vel frigoris diverfa parit mala. Sub acceffu caloris in putridum liquamen omnia diffolvens, fit peftilentialis, & humido putrique halitu meatus corporis implens, ad morbos endemios, febres putridas & cachexiam difponit; quod eorum exemplo patet, qui ad lacus, ftagna & paludes habitant. Sub acceffu frigoris, inhibetur quidem aëris humidi nifus in putredinem; at humidum retentum magis figitur & accumulatur, & lentæ circulationis ad fuffocationem ufque crefcit periculum, in abdomine inprimis difficillimæ ftafes nafcuntur.

Thesis XXIX.

Bonum vitæ regimen in aëre humido requirit; latere domi, & ftruem lignorum, ut juniperi, abietis aliorumque, cum pauxillo fuccini in camino accendere, ut aër alio aditu exituque interclufus fupra ignem intrando exeundoque depuretur. Patet, cur feminæ hic negligentiores plus læduntur, ob laxiorem corporis compagem, & facile tuffi, catarrhis & ferofa pulmonum inflam-

matione tententur. Ferunt facilius calidi, robusti, sicci, exercitati , at & illis vigilandum, ne nimis diu se tali aëri exponant.

Thesis XXX.

Aër siccus, qui simul gravior est & serenior, tanquam salubrior & a proventu morborum immunior , ab omnibus epidemicorum morborum scriptoribus agnoscitur. Promittit vigorem perspirationis, & robur corporis, & debiliorum confirmat valetudinem ; quin & phthisicorum hæmoptoen & hydropicorum serosam colluviem reprimit. Nimia tamen siccitas , calidos aliquando robustosque asthmate mulctat , sed alterius, quam vulgo , generis.

Thesis XXXI.

In aëre leviori rarefacto & minus elastico, pereunt animalia tanquam in vacuo. Pereunt autem in vacuo , non solum ob aërem elasticum, qui ambire debebat , deficientem, sed & maxime , quod aër pulmonalis tunc ipse effundatur in vacuum ambiens. Unde velut in fœtu contracti pulmones subsidunt in aqua. Hæc mors est fulgure exstinctorum, quorum pulmones , Pitcàrnio teste, ponderosi fundum in aqua petunt. Idem in antris contingit, Crotta del cane , ubi vapor tantum ad pedem adscendens exstinguit canes non homines.

Thesis XXXII.

Quod de aëre leviori dictum, valet etiam de aëre in locis anguſtioribus occluſo nec renovato. Pereunt in eo, paulo tamen tardius, quam in vacuo. Ajunt plerumque, homini præbere pabulum, ſine quo vita hominis non ſubſiſtit: abſumto hoc nec renovato perire in eodem aëre. Alii hoc nomine arguunt incluſum aërem, quod continuo halitu incluſi animalis contaminetur, vel eodem elater aëris ad reſpirandum tam neceſſarius imminuatur. Contra hanc ſententiam pugnat experimentum Jacobi Piſtorini: duo nempe animalia in eodem loco incluſa, non citius perire quam unum, cum tamen duo vel pabulum illud vitæ in aëre abſumant citius, vel halitus illos contaminantes, aut elaſticitatem aëris minuentes effundant eodem tempore cumulatius. At evicit Joſephus Verratus, omnino duo vel plura animalia citius quam unum, in tali loco occluſum, perire. Imo Barometron immiſit huic loco, & adſcenſum mercurii in pluribus animalibus incluſis notabiliorem quam uno obſervavit, adeoque oſtendit, mortem imminuta elaſticitate naſci.

Thesis XXXIII.

Præter ignem & aquam intrant aërem, effectu ſæpe nunc noxio nunc ſalubri, ha-

litus animalium, vegetabilium & mineralium. Ex animalibus, quæ non perpetuo non exſudat copia materiæ perſpirabilis. Hanc in celeri ſuga ferarum adſperſam herbis, ſagaces canes proſequuntur, & per longa intervalla diſtinguunt. Excrementa animalium, lotia & fimeta in locis fervidis cito volatilia per aërem diſperguntur. Quin & maximæ molis animalia, balænæ ad littora ejectæ, elephantes, cameli, equi, ipſorumque hominum inſepulta poſt pugnas cadavera, cito inprimis per æſtatem conſumuntur. Ovula ipſa fœta & in aëre hærentia & excluſa, tepente vere inficiunt ſubito arbores vermibus; & cadunt pluviæ cum mirabili tali fœtura. Plus elucet in morbis contagioſis, plenus putridis animalium inquinamentis aër.

Thesis XXXIV.

Vegetabilium non modo nativi ſpiritus ſua fragrantia imbuunt aërem, ut odores ſtirpium, qui etiam per oceanum diffuſi, nautis indicant propinqua littora; ſed & vinoſi ex fermentatione, volatiles ex combuſtione. Olea, niſi multum terreſtris vinculi liget, pariter ſponte vel per ignem exhalant. Unde pingues halitus aeris ignem alentes attenuati, attritu calefacti accenduntur: diſperſi per aërem redeunt ſuo tempore, & pingui rore aſſiduaque fœtura tellu-

rem impraegnant, ſub cœlo calente & pluviis aeſtivis magis frugifera. Sales etiam nativi plantarum acidi, auſteri, aliique terra figente per ignem liberati ſenſim attolluntur. Imo ipſa tenera terra in ſublime rapitur, ut in altis caminis fuligo docet, venti totas partes vegetabilium aëri uniunt, ut ſemina herbarum papposarum & fungoſarum, quae ad turrium aediumque faſtigia elata, & aliquantulum terrae nacta ſe ibidem propagant.

Thesis XXXV.

Ex foſſilibus ſales fixiſſimi aqua aërea ſoluti, calore digeſti & ſublimati, & quoad reſiduum calcinati abeunt in auras. Deſtillatio cum arenis, bolis, terris, quot myriades librarum in fumos acidos volatiles reſpergit? olea vitrioli, l. ſpiritus ſulphuris l. aluminis miſta ſali gemmae l. nitri ſubito hos ſales fixiſſimos in volatiles, vix vaſe coercendos convertunt, ut Glauberus docuit. Halitus inde fodinarum quam letales. Sane tot modi ſublimandi, ſiccandi, digerendi, calcinandi fixa mutant tantum non omnia in volatilia, nec ipſa metallorum fixitas reſiſtit. Aufugit ad ignis gradum mercurius, imo plumbum, ſtannum, cuprum, ferrum magno igne volatilia fiunt, unde ferrugines, aerugines, ceruſſae, ſpecie pollinis ab aëre rapiuntur, quod plus valet de imperfectis metal-

metallis, ut arſenico, cobalto & ſulphuribus, quæ ipſum argentum imo aurum rapiunt. Unde Chymici multum habent de auro volatili. Ita merito aër poteſt ſeminator catholicus dici, & rerum omnium chaos. Unde mirabiles mutationes, a ſingulari virtute & varia miſcela pendentes, producuntur.

Thesis XXXVI.

In omni judicio de aëre halitibus variis referto, ſpectari debent tempeſtates anni, corporum cœleſtium ſitus, ſoli exhalantis varietas, maris, fluviorum, paludum, vicinia, & montium, ad quos illa aëris inquinamenta minus pertingunt, altitudo, ſimiliaque. Sine plenioris Chorographiæ ſubſidio nequit aëris in certo loco ſpirantis indoles accuratius cognoſci.

Thesis XXXVII.

Sol non ſolum calore, luce & temporum menſura, ſed & iis, quæ in aëre hærent, ulterius excoquendis, ac ſeminali virtute & fœcunditate telluris refovenda, inexhauſtum præbet fontem beneficiorum in corpus humanum. Neque vero omnia ſub eodem ſitu ſolis calent & refoventur æqualiter. Corpora variæ indolis & opacitatis in hoc aëre obvolitantia trajectum radiorum ſolarium mutant varie reflectendo, refringendo,

uniendo, diſſipando, in iiſdem ſub ſole locis non uno effectu. Maximus prope terram calor eſt, ubi denſiores halitus majori ſub attritu caleſcunt, & radii ſolis a turribus, ædibus, arenis, aliisque, quæ occurrunt, fortiter & ſæpe in ſe ipſos reflexi, maximos ſubinde æſtus gignunt. In ſumma montium altitudine aër placidus & reficiens eſt: vertex eorum (montium) ipſa æſtate ſumma nivibus oppletus. Aves, ex ſqualore infimi aëris, jucundiorem auram altius captant. Hinc aliis matutini aliis veſpertini ſoles calidiores. Herodotus fontem deſcribit, meridie frigidum, media nocte ferventem.

Thesis XXXVIII.

Aprica loca, quæ ſoli non immodicis caloribus torrenti, ſed leni & temperato expoſita ſunt, in porrecta planitie, reficientem valde cum commodo valetudinis aërem præbent. Conſtat, in apricis locis cito convaleſcere ægros, in clauſis etiam ſanos corripi. Inprimis colles aprici vocabantur ſoli orienti obverſi, in quo per hiemem veteres apricabantur: maxime ſenes, unde Perſius vocat ſenes apricos; Horatius ſe ipſum ſolibus aptum: in tali aëre ſprevit Diogenes Alexandri munera: & Cicero, apricationem illam regno ſe præferre, ſcripſit ad Atticum. Athenis forum judicii in aprico erat; pri-

vatis ambulationes ſubdiales & ſolaria in ſummis ædibus placebant. Vertit in voluptatem, aſſiduo curata cuticula ſole. Videas naturæ inſtinctu cancros aprica littora; hirundines apricos montium receſſus ſectari. Semper laudata eſt regionum apricitas, unde Hyperboreos diſcordiam & ægritudines neſcire, nec niſi ex ſaturitate vitæ mori ſcribit Herodotus.

Thesis XXXIX.

Aër an in pleniluniis, quod multi volunt, majori frigore lædat, inprimis cerebrum & paroxyſmos noctambulonum, epilepticorum, colica vel calculo laborantium, excitet; an etiam in luna nova & quadratura gravius afficiat; an inter eclipſes ſolares & lunares, varioſque ſtellarum ſitus, mutationes producat, paſſim ab autoribus traditas; haud quidem omni ex parte negandum eſt temere; ut & inter tot fallacias cauſarum & commenta ſuperſtitionis, non niſi in obſervationibus caute iteratis acquieſcendum eſt.

Thesis XL.

Montanorum ſanitas & longævitas laudatur, quod ad montes halituum inquinamenta minus pertingant. Notatum eſt, Aethiopes, in quorum locis depreſſioribus ſaxa ab igne fervent, & pulvis veſtigii humani patiens non eſt, robuſtos & longævos vivere

in locis ibidem editioribus, quæ ſupra nubes & æſtum ſunt: Tellez cum iis comparans alpes, vocat hos, intuitu illorum humiles colles. At plerumque noſtrorum montium cacumina nebulæ & denſati halitus alluunt. Hinc crebro montanorum ſupellex ſitu obducitur: lacuſtres etiam in corruptelam pronæ aquæ, ibidem concava montium loca occupant. Ventorum præterea impetus noxia magis applicans ſentitur. Denique mineralia in ſinu montium ſine infeſtis halitibus non ſunt.

Thesis XLI.

Aër circa maria ſpirans, ſalſus & ſcorbuto inficiens, Liſtero coarguitur, refragante Waldſchmidio, qui ad Venetos, in medio mari ſitos, a ſcorbuto immunes, provocat. Quorum quoque aërem ſalutarem agnoſcit Teſtius, quod, perflante ibidem liberius aëre, diſpergatur & miteſcat ſalina temperies, eo ceteroquin minus noxia, quod putredini reſiſtat, ſiccet, defluxiones præcaveat, roboretque, piſcatorum, in mari viventium, & nautarum exemplo, quorum corpora jam Plinius cornea dixit.

Thesis XLII.

Aër in locis paludoſis & declivioribus obſcuriſque vallibus, & umbroſis nimis ſylvis impurior eſt & inſalubrior; ibi (ubi palu-

dosus) ob nimiam humiditatem, unde torpor, œdemata pedum & mala hydropica; hic (ubi valles & umbrosæ sylvæ) ob impeditum aëris & solis accessum. Ob eandem rationem insalubriora etiam sunt loca subterranea, ut cellæ, sepulchra, iisque superstructa templa, concava murorum, fodinæ sulphureæ, vitriolicæ, mercuriales, minerales, & putei inprimis diu nec aperti nec renovati, adeoque multa sorditie insectisque pleni. Unde tetri halitus in multorum perniciem sunt effusi. Nec omitto hic loca terræ motui obnoxia, ubi aliud mox halituum genus exsurgit, incolis, funestum.

Thesis XLIII.

Ruris melior quam urbium aër est; ibi ædiculæ distantiores, viæ ampliores, renovant perpetuo aërem, & fragranti ex vicinis hortis & campis odore perfundunt: in urbibus ob ædes altiores, plateas angustiores & perspiranti aëri minus patentes, par numquam salubritas est, in tanta inprimis incolarum copia & victu non æque simplici. Huc spectat incolarum varium vitæ genus, quo nunc per carbones fossiles & glebas bituminosas, nunc per latrinas & stabula, nunc aliam sordium illuviem magis inquinant aërem; nunc immundis artibus utuntur, corium præparando, aut chordas pro instrumentis musicis, cannabim in aquis

macerando, ſebum aut aquas ſtygias coquendo.

Thesis XLIV.

Denique etiam aëri per quietem deteriori, ut conſulat afflatus levioris venti optabile eſt. Ita enim mobilitas partium in aëre conſervatur, & natæ in ſinu ejus corruptelæ diſperguntur, cum magno tot animalium in eo perſpirantium commodo. Variæ tamen virtutis vel noxæ ventus eſt; nunc per montes, nunc ſylvas, nunc paludes & flumina, nunc arenoſa loca tranſiens, & quicquid affert virium vel ſalubrium vel noxiarum majori effectu corporibus applicans.

Thesis XLV.

Ventus orientalis (Eurus) mane quam veſperi ſpirat ſalubrius, ex locis ſole æſtivo ſiccatis proveniens, calidior tunc eſt & ſiccior, ſimulque ceteris tranquillior; cœlum ſerenius poſt ſe relinquens.

Thesis XLVI.

Ventus occidentalis (Zephyrus, Favonius) veſperi ſpirat ſalubrius e locis exſurgens, quæ ſolares radii magis penetrarunt. Ceterum impetuoſior & ferocior, & oceano Atlantico proveniens, frigus & imbres affert.

Thesis XLVII.

Ventus meridionalis (Aufter, Notus) e locis calidioribus fpirans, mare mediterraneum & paludofa loca tranfit. Hinc nebulofus, craffus, tepidus inamœnam reddit cœli faciem: lymphæque ftafin & laffitudines creans, Horatio plumbeus dicitur.

Thesis XLVIII.

Ventus feptentrionalis (Boreas) e locis foli minus expofitis in nive ac glacie obfitis fpirans, frigus affert, fimulque vero cœlum ferenat, & viarum fqualores abftergit. Repurgato aëre & extinctis corruptelæ caufis, ipfaque pefte inhibita, robur civibus & longævitatem promittit.

Thesis XLIX.

Salubris uni regioni ventus, poteft alteri noxius effe; ut fubfolanus Belgis falubris, Britannis infeftus eft. Boreas quidem frigidus; Aufter tepidus humidufque eft: at aliter fe res habet, fi ille fuper paludes, hic fuper arenas fpirat. Bene fupputat Mariotte in tabulis celeritatem, quæ in vento fumma effe poteft; fpatia, quæ intra definitum tempus percurrit; durationem in procellofo vento longiffimam. Ita Kruquius follicite notavit, ex quo, & in quem locum, & in quo tempore aër migret. Inter tropicos ftati

ſunt & periodici venti : mane Eurus ſpirat, veſperi Zephyrus. Poſſunt vero ſtabiliores venti certioribus præſagiis & conſiliis ſervire, ut olim Hippocrati de imminente peſte & avertenda.

Thesis L.

Summi venti frequentius in aëre calido, quam acerrimo frigore oriuntur, ad quamcunque vero ferociam inſurgentis venti, licet in eodem aëre, haud mutatur, Thermometron. Robuſti etiam ac ſani, prægreſſis motibus excalefacti, & in ſudores reſoluti, incurrunt in ſæviſſimos, tanquam a vero frigore morbos; quia ventus perpetuo diſſipat aërem nos ambientem & ſub halitu noſtro tepidiorem. Qui incaleſcunt motu in aëre frigido, ſi quieſcunt, deinceps aſthmate perpetuo, rheumatiſmis, imo & angina, pleuritide, peripneumonia tentantur. Debiles autem & uni aeri adſueti, vix minimum ventum per rimas feneſtræ admiſſum ferunt.

Thesis LI.

Illum igitur aërem præ ceteris in valetudinis negotio ſaluberrimum appellamus, qui gravis, ſerenus, ſiccus, temperate calidus, a purioribus locis ſpirans, levi vento agitatus, craſſioribus halitibus defecatus, magnæ & ſubitæ mutationis expers, apricus, ſura-

lis, campeſtris, vel dicta lege montanus. At ſunt, qui optimo aëre fruuntur, & tamen per immunditiem vitæ hac ſalubritate privantur; dum veſtimenta, induſia, ſtragula lectorum non renovant ſatis; ædium ſorditiem raro expurgant; inter tenebricoſa loca latent; cloacas in vicinia & fimeta fovent; nec ſordidorum hominum commercia fugiunt.

THESIS LII.

Aërem patriæ præ alio, licet in ſe ſalubriori, laudant multi, & hinc vel valetudinis cauſa nos admoneri putant, in patria potius quam extra illam fortunarum ſedem quærere. Verum eſt, ferri facilius & ſanari morbos in patrio quam alieno aëre: nam illi nobiſcum major eſt, & ipſo uſu confirmata familiaritas, inſitum calorem blande fovens, coctiones fulciens, & contra noxia defendens. Notatum tamen non minus eſt, inveteratos morbos requirere mutationem aëris, & arma adverſus illos ipſa adſuetudine hebeſcere. Id inprimis de illis morbis valet, quos ipſum vitium domeſtici aëris gignit & ſuſtentat.

THESIS LIII.

Habitantium ædes, cœlo orientali obverſæ, ob mitiorem caloris temperiem comparantur a Vitruvio cum vere: e contrario ad cœlum occidentale ſitæ cum autumno mor-

borum feraciſſimo comparantur: poſt orientalem ſalubrior habetur cœli ſeptentrionalis adſpectus, quod robur corporum confirmet: poſt occidentalem inſalubrior reliquis eſt adſpectus cœli meridionalis, reſolvens corpora & imbecilliora reddens. His vero ventorum ratio par non eſt: præſtat ædes habere vento occidentali oppoſitas; deinde boreali, poſtea orientali, omnium minime meridionali. Id vero ſeorſim notetur reſpectu locorum: in regione ſeptentrionali, ubi rigor frigoris lædit, præſtare oppoſitum cæli nempe meridionalis ſitum; in regione meridionali, ubi ab æſtu noxa, præſtare cœli ſeptentrionalis adſpectum, & ſic porro. Quilibet ut ſalutari domicilio fruatur, ſi in poteſtate ejus ſit, non ſolum loca aëris purioris eligat, & inquinamenta per negligentiam vitæ fugiat; ſed id ante omnia curet, ut ſoli illuſtranti & aëri perflanti ſemper ædes ſuæ pateant. Inter hæc duo beneficia privatio luminis directi etiam pejor eſt privatione aëris perflantis: nam lumen emendat vitium aëris quieti, aër non emendat vitium ex perpetua umbra. At privatio luminis reflexi non par habenda eſt privationi aëris perflantis. Intuitu vicinarum ædium caveamus, ne earum altitudo in anguſtioribus maxime plateis patentiorem aëris ac lucis acceſſum nobis, tanquam adeo inſigne valetudinis præſidium, eripiat.

CAPUT II.

DE VICTU HUMANO.

MEMBRUM I.

DE CIBO.

THESIS I.

Inediam ferre nemo diu poteſt inter illa internarum partium ſub vitali attritu perpetua diſpendia, quæ etiam perpetua refectione egent. Totum fere corpus intra ſex menſes aliud quam ante eſt, & tota ejus moles, toties decedens, toties renovata, ingeſtis cum delectu coctiſque interna virtute alimentis debetur. Non male olim ipſe magiſtratus ad victum civium attendit ſub Amaſi rege: ipſi olim Ægyptii, indicere quotannis, ex quo viverent, lege tenebantur; quam legem Solon in Græciam tranſtulit.

THESIS II.

Diſtinguere hic prius convenit tempora & ſtatum corporis, ubi proſit aliquando inedia corpori, & ubi maxime noceat. Prodeſſe corpori inedia poteſt, inter vitia prægreſſæ coctionis, languenti & onuſto & no-

vum cibum faſtidienti, ita qui pondere auctos ſe ſentiunt, ante capiendum cibum moras nectere debent, & quod Sanctorius monet, ex illo pondere judicare, ſalutare jejunium ſit an noxium. At longe plus nocet inedia ventriculo vacuo, forti, & bene appetenti, quem ſemper magis labefactat intermiſſum diu coctionis officium. Humorum enim noſtrorum, quibus blandus chylus non perpetim affunditur, creſcit ex ipſo motu corruptela; & deſcreſcente ſimul, inter ea quæ diſſipantur, pondere corporis infra ſalubritatis ſuæ gradum, decreſcunt ſimul vires, & coctionis in reparando præſidia minuuntur. Motus ille vitalis inter negatas chyli ſuppetias, expulſo tenui ac aquoſo, evolvit ſalia & olea humorum latentia, & ad alcalinam putredinem diſponit. Unde acrium furioſorumque morborum & ipſius mortis ex fame cauſa. Majora & celeriora hæc damna ſunt, non in aſſuetis & juvenibus, & bilioſis maxime, & iis inprimis, qui crebra corporis & animi exercitatione exhauriuntur.

THESIS III.

Victus moderatus, qui viribus coctionis reſpondet, perdita reparat, nec cruda colligit, nunquam ultimam ſatietatis lineam expectat, copioſior aliquamdiu bene coctus plethoram gignit, male coctus cruditates

accumulat. Parcior nec reparat ſatis vires perditas, nec virtutem in coctione neceſſariam ſatis inſtaurat. Ita non inedia ſolum, ſed etiam interdum ipſa nimia ſobrietas nocet robuſtos inprimis conficiens & ſenectutis præcipitans terminos: Nam ex parcius ingeſtis, parcius elaborata minori vi implent & diſtendunt vaſa, quæ hinc naturali nixu arctiora, expulſo exiguo liquido coaleſcunt, vel etiam cum eodem lenteſcente. Hæc a minimis vaſis ad majora progrediens, collabendi & areſcendi ratio, præmaturum ſenium accelerat.

THESIS IV.

Copia cibi plus nocet otioſis & debilibus quam robuſtis & exercitatis; illis auget diureſim & fluxum alvinum; his (robuſtis) perſpirationem ob majora coctionis adjumenta. Ita pro varia emunctoriorum indole & diſtantia cognoſcitur naturæ digerentis & expellentis major & minor virtus.

THESIS V.

Ità multi ob creſcentem perſpirationem ſine ſenſibili evacuatione fiunt altero die leviores, ſi cibo potuque ſemel aut bis de menſe excedunt; nempe languentes ſubînde vires, ſtimulus ex copia excitat. Hoc tamen de robuſtis intellige, in exceſſu non nimis frequente. Tutior eſt ſine illo bene-

ficio victus uniformis, quem debiles & valetudinarii mutare temere non debent. Celsi præceptu in cibo capiendo modo parcos nos esse, modo liberales, modo frigora ferre, modo æstum, leges respicit durandi corporis in bona valetudine.

Thesis VI.

Tumens in juventute ventriculus ab immoderato crebrius victu, tumebit & gravabitur moderato victu in senectute. Debiles cito opprimit intemperantia, robustis mala fide parcit, qui præmature amissas vires in limine senectutis deplorant: cujus rei monendi sunt, ne tutos se esse putent, dum pœnas intemperantiæ non illico luunt.

Thesis VII.

Corpus ne deflectat a pondere naturali, præcavet justa mensura victus, nempe copiosoris & tenacioris, si augere vis diminutum nimis pondus; levis & parcioris, si auctum nimis diminutum mavis.

Thesis VIII.

Esculenta solida & fluida in corporis nutritionem amico nexu conspirant. Quantillum solidorum staminum est in recens natis, quantum mox accedit ex solo commeatu laticis chylosi; adeo in se invicem mu-

tabilia ſunt fluida & ſolida, nec niſi ratione ſolius cohæſionis diſcrepant.

Thesis IX

In primævo corporum robore ſuffecit in alimentum aqua cum fructibus, glandibus & herbis, quas tellus ultro obtulit. Colligunt quoque ex ſacrificio pecudum ab *Abele* oblato, eo jam ævo, ali & mactari pecudes cœpiſſe, & ut lactis & ovorum &c. ita & carnium uſum licuiſſe. Certe infecta labe humani generis & univerſali aquarum illuvie, ubi decrevit corporum robur & telluris fertilitas, inter creſcentes jam ſuſtentandæ vitæ moleſtias, inventis aratris agrorum cultura invaluit, cum vita paſtorali, quæ creſcente numero animalium, agros & vites vaſtantium, plus dedit luxui anſam, qui in dies ingenuoſior, nihil intentatum reliquit.

Thesis X.

Per varia illa luxuriantis gulæ experimenta, inter varias occurrentes noxas, ad cautiorem uſum reſtricta conſtitit, tum eos, qui ſimplici & frugali, tum qui compoſito & liberali per artem nunc plus nunc minus præparato cibo uterentur, tum qui vegetabilem ſolum, tum qui animalem appeterent, vixiſſe tamen omnes ſine magno bonæ valetudinis diſcrimine. Unde colligitur,

insitam corpori humano facultatem esse; in id, ex quo constat, mutandi congesta, adeoque talem alimoniam, quæ functionum tum animi tum corporis vigorem tuetur, propria coctionum internarum virtute, separatis illis & ejectis, quæ sibi non conveniunt, comparandi; quæ ipsa tamen corporis mutantis facultas, ne sub impari mole fatiscat, & vitio ingestorum: ars subvenire cœpit, variis præparandi cibi, ut coctionis viribus auscultet facilius, adminiculis.

THESIS XI.

Adminiculum fere præcipuum, quo cerealia in usum nostrum præparanda egent, est fermentatio. Cruda cerealia mucosum facile sanguinem & tenacem reddunt, & primas vias flatibus distendunt. Mundata vero a corticibus, comminuta in farinam, aëre & aqua subacta, admixto fermento, in tenaciori partium compage ita dissolvuntur, ut hæ glutinosæ, oleosæque & connubium aquæ antea respuentes, jam misceri aquæ & nostris humoribus sub levi coctionis internæ accessu possint. Hæc pasta farinacea & fermentata ne nimis acore offendat, prima coctione subigitur in pastam duram, siccam, edulem. Secunda coctione calidissimo & humidissimo aëri resistit: Atque hic panis, quem bis coctum vocant, in apparente duritie minime glutinosus & tenax est,

eſt, ſed promte in aqua diffluens, ſalubriter alit, ſaluberrimum certe languentibus panis ejuſmodi decoctum eſt.

THESIS XII.

Sunt etiam ſua in animantium claſſe præparantis artis adminicula: Illa nunc malleo contuſa, nunc ſuſpenſa in aëre, aliisque modis ad faciliorem partium diſſolutionem diſpoſita, carnes præbent teneras, friabiles & coctu faciles. Maxime quatuor in hunc ſcopum eſculentorum (ſive animalium ſive vegetabilium) bene præparandorum modos culina invexit, elixandi (kochen), aſſandi (braten), frixandi, (röſten), condiendi (würzen).

THESIS XIII.

Elixando aqua ſub calore ignis ſubit, penetrat, laxat partium cohærentium vincula; ſolvit ſalia, ut firmioris compagis cauſas; ſuccos concretos liquat, & juſculorum nomine educit; hisque plus virtutis & alentis communicat, quam in carnibus diu coctis remanet. Convenit vero elixatio cibis ſiccioribus, humidioribus inſuavem lentorem conciliat. Maxime robuſtis & ſiccioribus elixæ carnes conveniunt. Ceterum præſtat elixare carnes macilentas, aſſare pingues; ibi alitura humidior, hic ſiccior obtinetur. At illud ſimul ſpectandum eſt, quo liquore

coquatur, aqua ſimplici, an herbarum viribus imprægnata, an vino vel aliis quod ſæpe ſub coctione vappeſcit: Nec negligenda ſunt vaſa, quæ tecta plus coercent, quidquid exhalat, repelluntque, ut repulſum in majori actione ſit, & partium evolutione. Ænea & cuprea vaſa, de quibus inferius, ſæpe nauſeas, vomitus, dolores erodentes & alvi fluxus producunt.

Thesis XIV.

Si aſſare placet, præſtat id fieri modice: nimis aſſando pingue flavet & amareſcit. Multi ob adſperſam fuliginem tecto vaſe aſſare malunt, quamvis hinc caro non æque ſapida ſit. Barbari vivo igne magnam eſcharam inducunt; unde omnino ſapidior caro. Certe apud pleroſque moris eſt, ad ignem apertum cruſtam duram ſuperficiei carnium inurere, ſub qua (cruſta) coerciti humores & igne agitati, plus ſolida atterunt, fluidiora diſpergunt, & ſalia & olea evolvunt. Unde non modo ſapidior caro, ſed & coctu facilior, verum etiam in putredinem pronior. Sunt, qui præferunt aſſata leviter, & adhuc fere ſanguinolenta, ita e. c. palumbes cruore adhuc perfuſas, & ignem vix expertas ſumma cum voluptate edunt. At ut major vis aſſandi vel elixandi ſuccos alibiles diſpergit & carnes inertium virium relinquit; ita nimis parva

fraudat edentes facilioris digeſtionis præſidio, & debiles inprimis onerat. Ceterum convenit molliora & humidiora aſſare, cibumque ejusmodi exhibere languidis, flatulentis, acido laborantibus, diarrhœa vexatis; non æque ſiccis, robuſtis, calidis. Quæri poteſt, cur Ariſtoteles aſſa elixis humidiora dixerit: Reſpexit ad id, elixando internos carnium humores elici, aſſando magis ſubſiſtere ſub cruſta.

Thesis XV.

Frixando in ſartagine addito butyro vel oleo, alimentum præbet non inſuave, at ſiccum, retorritum, & durioris coctionis, quod cito in debiliori ventriculo rancescit, & ob pinguedinem, cujus corruptio ſemper deterrima eſt, bilioſis maxime nocet. Non damnamus, ſi tenuiora ſegmenta, quæ penetrantur facilius, de carne vitulina vel vervecina eliguntur, ſi quæ ignem provida manus moderatur, ne aliam partem exurat nimis, aliam fere crudam relinquat.

Thesis XVI.

Condiendo vel putredo arcetur a cibis, in quam fere omnes proni ſunt, vel vis languentis coctionis excitatur, vel gratiæ ſaporis litatur. Serviunt huic ſcopo 1*mo* ſalia (ut ſal marinus, gemmæ, nitri) in uſum culinarum maxime recepta, quæ cibos

reddunt perenniores, ſaporem, nam nihil ſine ſale ſapit, acuunt, coctionem in ſua vi ſolvendi & ſtimulo ad motum intendunt. Plutarchus condimentum condimentorum vocat, & uno olim fano culti ſunt Ceres & Neptunus, quod illa panem, hic ſalem dediſſet, quaſi ob ſimile meritum conjunctim venerandi. Referre huc licet gratas olim piſcium murias. 2*do* acetum & ſucci acidi, uti citreorum, egregie condiendis cibis ſervientes, putredini reſiſtentes., languentem ventriculum refoventes. Huc referri poteſt omphacium ſeu uvæ acerbæ ſuccus torculari expreſſus & inſolatus, imbecillius tamen aceti genus. 3*tio* Vinum, quo carnem aprugnam ſuaviter condire moris eſt. 4*to* Oleum, quod aëris acceſſu prohibito, carnes in Indiam tranſituras conſervat. 5*to* Aromata fragrantis odoris ſaporisque, quæ tenui oleo & vi penetrante nervina gaudent. Huc referuntur calamus aromaticus, crocus orientalis, cardamomum, caryophylli, cubebæ, nux moſchata, macis, cinnamomum, piper, zingiber, zedoaria, coſtus amarus, dulcis, mel ipſum & ſaccharum; talia maxime exotica ſunt. Proſtant etiam apud nos hoc nomine varia, ut ſinapi, raphanus ruſticanus, naſturtium, ſemen aniſi, coriandri, fœniculi. Notamus abuſu condimentorum vaſa tenera lædi, acrimonia eorum & plus juſto corpus ſtimulari.

Thesis XVII.

Fas eſt non omittere in præparando cibo uſum vaſorum culinarium. Metallica ex cupro & ferro, quia viribus ignis plus reſiſtunt, ut durabiliora ſic præſtantiora habita ſunt. At rubigo, quæ hæc vaſa facile occupat, cibis mixta, vix tuto intrat corpus, a quo ſubigi metallica vix poſſunt. De ferro quidem tanquam ſolubiliori & innocentiori non tam metus eſt. At eſculenta in vaſis cupreis cocta & aſſervata Sennerto, Rhodio, Lanzono, Maucharto & aliis nauſeam, vomitus, tormina ſæpe creaſſe arguuntur. Geoffroy ipſam aquam in vaſis cupreis diu detentam noxæ arguit. Thomaſius lac in his vaſis venale inter cauſas epilepſiæ numerat: & ſpeciatim Fridericus Hoffmannus docet, vinum, tum & ſuccos acidos veneni mineralis indolem in vaſis cupreis accipere. Unde abrogari vaſa cuprea & ſubſtitui terrea ſuadent multi, (Rouſſeau, Thierry & Suecorum plurimi). Limitandus noſtro judicio ille metus noxæ eſt, cum nemo negare poſſit, tot ſeculis cereviſias, condituras, pharmaca in cupreis ahenis impune parata eſſe, ipſa quoque vaſa divino cultui dicata ex ære conſtitiſſe. Poſſunt ſane gummoſa, gelatinoſa, mucilaginoſa ſine metu in his vaſis coqui: Plus cautionis poſtulant ſalina, acida imo & pin-

guia ac oleosa, quæ pariter acidum in sinu gerunt. At neque hæc metuenda sunt, modo peracta coctione non serventur in illis vasis & frigescant; nam in frigore & quiete plus solvunt, quam momento coctionis, nec a pauxillo soluti cupri tantum statim noxæ est. Cognoscimus vero solutum ex sapore nauseoso & austero, colore cœruleo, si acidum vel alcali volatile solvit, viridi, si solvit alcali fixum. Igitur cuprea vasa abolenda non sunt, modo dicta, ut vinum, acetum & alia acida haud diu in tali vase serventur. Non dubitat clarissimus Bott, ipsa vasa ferrea postponere cupreis, quippe minus in munditie servanda : In utrisque vasis (scilicet cupreis & ferreis) proba tutela est a stanno obducendo, quod firmiter adhæret, & non auscultat acidis, nisi fortissimis & culinæ ignotis, verum purissimum sit. Nec fricentur hæc vasa nimis, nec vacua & sicca igni apponantur.

Thesis XVIII.

Sed præstat jam intueri propius in suis alendi viribus, quæ ex naturæ regno tam vegetabili quam animali nobis in usum & tutelam valetudinis inter meliores omnis ævi observationes depromuntur.

SECTIO I.

DE VICTU VEGETABILI.

THESIS I.

Vegetabilium cibo noſtro ſervientium 1*ma* claſſis continet cerealia, quæ conſiſtunt vel in frumentis, vel in leguminibus: 2*da*, olera exhibet, quæ maxime hortorum culturæ debentur: 3*tia* Radices eſculentas; 4*ta* denique fructus tum arborum tum fruticum tum herbarum, magno ubivis divinæ manus munere, quo indigentiis noſtris ſub provido uſu & delectu ubertim proſpicitur.

THESIS II.

Frumenta ſunt ſemina farinoſa, quæ bene matura, recentia & moderate ſicca, in farinam trita, rite fermentata, modico ſale condita & calore furni ſubacta dant panes, qui ſalubriter & ſine faſtidio alunt, omnique ætati & temperiei, maxime inter majora exercitia corporis, firmum & ſtabile alimentum ſuppeditant, quod naturæ corporis in alcalinam putredinem ultro inter motus ſuos ruenti, diutiſſime reſiſtit: Hinc foſſoribus, nautis, athletis maxime neceſſarium non æque debilioribus. Fluxas alii cibi plerique carnes pariunt, & triduo cor-

rumpuntur; panis postremum tantum macescit & arescit. Potiora illa semina sunt triticum, zea, (Spelten) secale, hordeum, avena; fagopyrum, (Heydekorn) oryza, milium, panicum &c. quorum omnium farinæ gratæ & nutrientes cum lacte vel jusculis coctæ, pulmentorum magnam varietatem præbent: lentore tamen suo imbecillioribus, inprimis in vita otiosa corporibus, non æque conveniunt, quam post fermentationem sub forma panis. Veteres polentam ex hordeo frixato amabant.

THESIS III.

Discrimen virtutis nutrientis in panibus ita distinguimus: præstat triticeus vi nutriente, & nihil fere feculenti reliquit; lentore tamen suo remoratur non nihil in debilioribus coctionem, & alvum stipat; bis coctus (Zwieback) licet totus crusta videatur, etiam salubrior est, & in chylosam materiam totus liquescit, & probum ac constans alimentum præbet. Divisus apud Romanos triticeus panis fuit in Siligineum ex flore tritici, dominis servatum, similaceum bonitate proximum; confusaneum ex farina & optima parte furfuris; & furfuraceum. Nobis ex secali ad usum frequentior panis est, proximo gradu nutriens, & minus obstruens alvum. Plinius quidem deterrimum frumentum vocat secale, tantum ad famem

arcendam utile. Videtur autem noſtro ævo ex aſſiduitate culturæ mitius evaſiſſe. Hordeaceus panis lentoris minus habet, at etiam nutrimenti minus, plus alvum ſubducit & etiam inflat; Athenis antiquiſſimus cibus erat, hinc gladiatores hordeacei dicti: militaris deinde pœna erat, teſte Polybio; dare militibus hordeum pro tritico, quod & Livius de Marcello & Suetonius de Auguſto refert. Panis ex oryza familiarior populis orientis, minus nutrit, plus obſtruit. Panis ex milio aridus & fragilis alvum ſiccat. Ex zea & panico vilior eſt, ne dicam de aliis, quorum uſus etiam magis hodie exſulat. Annona tamen interdum cogit piſa, fabas, caſtaneas miſcere panibus.

THESIS IV.

Ad judicium de ſalubritate panium adhuc ſequentia notamus: dum panis ex farina fermento aqua & ſale conſtat, opus eſt, ut his intime mixtis tenacitas farinæ vincatur, ipſum frumentum aliquamdiu jaceat ſiccatum, ſin minus, dat farinam impuriorem & furfuraceam, ſin nimis, dat farinæ parum. Circa molendina notandum, meliora eſſe, quæ aquæ quam quæ venti, quorum inæqualior motus eſt, agitant: ipſa quoque ſaxa requirunt duriſſima ex quibus nihil deraſi ſe miſceat farinis: ipſa jam farina, quæ nunc ex flore ſeu candidiſſima parte, nunc

polline, nunc furfure conſtat, pro vario delectu & miſcela, auget vel minuit nutrientis panis vires. Ceterum ille panis melior eſt, qui bene percoctus & friabilis, nec recens nimis ſit, qualis calidior, limoſior, flatulentior eſt, nec ultra triduum facile vetuſtus, qualis plus ſiccat, gravat & alvum ſtipat. Cruſta ſuperior bene cocta plus acuit appetitum & inertem ventriculum excitat, ſub ſtimulo digeſtionis & excretionis, inferior cineribus plerumque obſita minus coquitur & alvum plus tardat, ſemper medulla coctu facilior & ſalubrior. Qui utramque cruſtam metuunt, raſum plerumque panem præferunt, furfure modice admixto, minus quidem eſt nutrimenti, at plus ſtimuli, qui alvum apertam præbet.

Thesis V.

Farinis multa in gratiam admiſcens ars piſtoria, ingentem invexit placentarum & bellariorum copiam. Grata jam res veteribus fuit; nunc enim frixare in oleo farinas pro catillis, nunc pingui juſculo & aromatibus temperando copto-placentas, nunc omne fere ſeminum fructuumque genus congregando pancarpias alexandrinas parare antiquiſſimi moris fuit. Ita eupeptæ, ſtrepſi, ſtriblitæ, ſpiræ, lixulæ, ſemilixulæ, tortæ, cruſtulæ, macarones & ſimilia infinita nata ſunt. Hodie inprimis miſcere farinis ſolent

butyrum, caseum, lac, ova, fructus horæos, saccharum, aromata & alia, mirabili artis varietate & elegantia. At pleraque partim ob lentorem farinæ auctum accessu pinguium ægrius subigendorum, partim ob crassiorem succum tarde permeantem & alvum cohibentem, partim ob acriora admixta plus stimulorum in sanguinem invehunt, partim nimia nocent ingluvie, ad quam saporis gratia invitat.

THESIS VI.

Legumina sic dicta, quia manu leguntur, non falce resecantur, sunt secundum Galenum ea cerealia, a quibus panis non fit. Cedunt frumentis præstantia, crassiores succos generant, ægrius coquuntur, deterius nutriunt, nimio usu torporem inducunt, sensus hebetant, flatus gignunt, caput gravant, insomnia cient: hæc maxime de crudis leguminibus valent, quæ Galenus disspeptotata (i. e. coctu difficillima) dixit: & Hippocrate docente imbecillitatem crurum parit assiduus horum usus. Sed ut hæc omnia de imbecillioribus agnoscimus; ita in robustis probe digesta legumina omnino valde nutriunt, modo in usum trahantur decorticata, aridiuscula, emacerata in aqua & elixa. Potiora legumina sunt: 1*mum* *Fabæ*, quibus primum homines usi sunt, mixta etiam harum farina interdum pani-

bus. Hæ virides nec nimis adultæ commode nutriunt, & remoto cortice, qui adſtringit, pulpa ſua detergunt, alvumque præ reliquis leguminibus molliunt, at vi flatulenta, quam nec tridui coctio tollit, judice Galeno, corpus diſtendunt; unde res invisa Ægyptiis fuit; & Pythagoreis præſertim, teſte tamen Ariſtoxeno, non alio magis legumine uſus fuit ipſe Pythagoras. Hinc illud vulgare, abſtine a fabis, explicant multi potius de libidine temperanda, quod κύαμος, etiam teſticulum notet: vel ut Plutarchus habet de abſtinentia a publicis negotiis, quod fabis in judicio albis & nigris uterentur.

2*do* *Faſeoli* (Steigbohnen, Vitzebohnen, Türkiſche Bohnen) non plus laudantur Dioſcoridi, ſed ut coctu difficiles & flatulentæ arguuntur. Hippocrates tamen cenſet facilius ſecedere & minus inflare. Galenus ait, inſtar piſorum nutrire, neque hinc excluduntur menſis principum; veſcimur virentibus cum ſiliquis coctis, hieme quoque ſiccatis, frixis & elixis, melius illi nutrimentum hi durius.

3*tio* *Piſa*, quibus ſecundas a fabis partes Diocles & Varro tribuunt; noſtrum ævum primas: tenera, viridia, recentia, bene matura facile digeruntur; vetuſta & decorticata valentius alunt, at plus coctionem morantur, minus quoque flatulenta ſunt

quam fabæ, at & detergunt minus, hinc alvo fecedunt fegnius. Habemus *Pifum hortenfe* majus, quo pertinet pifum præcox (Steckelzuckererbfen) leptolobum quadratum & alia.

4to Lenticulæ (Linfen) Ægyptiis olim & Græcis, familiares, Romanis inter funebres cibos habitæ, quas Julius Alexandrinus e culinis excludi voluit, folas enim effe, quæ nulla arte corrigi queant, & in quas natura videatur omnem noxam congeffiffe. Diofcorides quoque, crebriorem ufum lentis oculos lædere, fcribit. Eft cibus pauperum, coctu difficilis, inflans & colicis maxime vitandus. Jus lentium, primo movens, deinde ftipans, dyfentericis a Galeno laudatur.

5to Cicera (Kichern) parum nutrientia, plus abftergentia, varii coloris, ex quibus album (*cicer*) debilius, rubrum veneri aptius; nigrum diureticum magis dicitur. Relegantur hodie ex culinis æque quam

6to Viciæ, (Wicken) quæ infuaves, coctu difficiles, craffum fuccum generant, alvum cohibent. Pabulum proinde pecudum, nifi annona premat; quod &

7mo De *Lupinis* (Feigbohnen) valet. De dictis omnibus adde, debilioribus, colicis, & vertiginofis ufum admodum reftrictum convenire. Coqui vero femper in aqua fontana non puteali, fimulque falubritate her-

barum carminantium & coctionem juvantium corrigi debere, ut Thymi, Majoranæ, Saturejæ, Hyſſopi, Petroſelini, Baſilici, &c. &c.

Thesis VII.

Altera claſſis vegetabilium olera exhibet imbecilli & exigui alimenti, magnam partem culturæ hortorum prehendunt, unde olitorum nomen: humectant, refrigerant, ſitim reſtinguunt, urinam cient, ejus ardorem mitigant, crapulæ reſiſtunt, appetitum cient, ſomnum conciliant, alvum molliunt, æſtate inprimis bilioſis & ſiccioribus proſunt, multa cum oleo & aceto præparata ingrediuntur acetaria: diu & copioſe ſumta in ventriculo incocta manent, & ob vim refrigerandi venerem frenare, & ſenſus inprimis viſum hebetare, creduntur. In hoc olerum numero pro uſu culinarum maxime occurrunt;

1*mum Malva*, quæ antiquiori ævo primum in menſis locum obtinuit. Horatius ſalubrem corpori malvam vocat. Et Pythagoras folium ἱερώτατον (i. e. ſanctiſſimum) dixit. Amata maxime fuit ob vim, qua alvum mollit: at ob lentorem ſuum faſtidita ſenſim eviluit.

2*do Lactuca*, ſucci nobilioris, ob virtutem tamen veneri obverſam, quam tribuebant, & cibum mortuorum vocabant, diu

neglecta. Poſt Auguſtum ſervatum caput iterum extulit. Placuit vis alvum molliendi, qua Malvis reſpondet, magis etiam vis appetitum ciendi & ſomnum conciliandi. Ultimis menſis veteres ante Domitianum inferebant pro ſomno conciliando; primis deinceps pro appetitu ciendo. Ita tribuit Columella lactucis ſalutarem poſt faſtidium morbi ſaporem. Et imperator Tacitus apud Vopiſcum mercari ſe ſomnum dixit, magno in lactucas ſumtu. Cruda lactuca, magis ſtomachica eſt, cocta plus ſtomachum & alvum reſolvit. Inter ſpecies lactucæ eminent ſativa criſpa & capitata: nec præteriri debet præcox illa ſpecies, quæ agnina dicitur, ſeu olus album (Rabünzgen.)

3*tio Braſſica*, quam ſolam Romanorum medicinam per ſexcentos annos fuiſſe, & ſuam a peſte immunem ſervaſſe familiam teſtatur Cato. Aegyptii ob vim diſcutiendi crapulam laudabant, & ejus uſu ad compotationes ſe præparabant. Sane teſte Theophraſto, vitis viva viciniam & odorem braſſicæ non fert. At craſſioris quam lactuca ſucci eſt, coctu difficilioris & magis flatulenti, leniter cocta alvum ciet & lotium, plus cocta ſiccat. Præſtat vero rubra præ alba, & nitroſum illud ſolvens, quod in prima coctione eluitur, abundat in braſſica alba: melior & tenerior eſt hiemalis. Præſtat vero criſpa (Savoierkohl, Wörſing) &

cauliflora (Blumenkohl) , crebri etiam usus est brassica gongylodes (Kohlrabi) quæ in segmentis latioribus cum carne coquitur.

4to Endivia seu Intybus , humectans , moderate refrigerans , subadstringens , facultate illa lactucis similis , suavitate inferior. Servit acetariis ; in nervorum imbecillitate minus convenit.

5to, *Spinachium* (Spinat) aquosa valde & insipida, plus alvum lubricat , & sine aromate flatus & nauseam creat.

6to Beta (Mangold) quam Tiphilus apud Athenæum melioris succi quam brassicam vocat. Candida melior est , succi tenuis, abstergentis & ventrem moventis. Ille succus naribus attractus errhinus est. Sæpe tamen betæ condimenta requirunt.

7mo Portulaca, quæ refrigerans, viscosa mulcens, asperitatem & stuporem dentium ab acidis natum tollit.

8vo Borrago recreans ac temperate tonica.

9no Acetosa (Sauerampfer) modice refrigerans , subadstringens , roborans , & acidulo sapore cibi aviditatem augens , bilem corrigens. Omitti possunt, quæ rarioris in culinis usus sunt, ut Atriplex, quæ res fatua alvum mollit & ventriculum laxat , sic Blitum , Sonchum , mercurialem &c. huc referunt.

THE-

Thesis VIII.

Addimus olera, non tam cibo quam condimentis cibi ſervientia, quæ attenuant, ſtimulant, excalefaciunt, flatus diſcutiunt, roborant, coctionem juvant, ſecretiones augent, præcipua ſunt:

1*mo* *Cherefolium*, (Körbel) odoris grati, ſaporis aromatici, quod acetariis miſceri, etiam juſculis incoqui ſolet, & parva coctione flatus diſcutit, vomitum & alvi fluxum ſiſtit, caput roborat, venerem excitat.

2*do* *Naſturtium* hortenſe, æque quam aquaticum (Kreße) ſiccans, ſtimulans, venere, viſu, animo languentibus commendabile. Chilites Perſarum pane & naſturtio victitantes, non tumebant, non expuebant, non flatu diſtendebantur. (Poſt pugnam corpora Romanorum enecata prius, quam Perſarum putreſcebant.)

3*tio* *Dracunculus* hortenſis, acetariis & juſculis gratiam parit, flatulentis prodeſt, ſtupidos excitat, agiles reddit, ſuperflua diſſipat.

4*to* *Petroſelinum* ſeu apium hortenſe, ſuave ac ſalubre, ventriculo utile, flatus diſcutiens, lotium pellens, coctionem juvans, quod jam Plinii ævo omnibus juſculis innatavit, herba radice crebrioris uſus eſt. Huc refer

5*to* *Apium* hortenſe latifolium, quod ſeleri (Zelleri) vocant, & aphrodiſiacum habetur.

6*to* *Eruca* ſativa (Senf) acrior magis excalefaciens, & mictum provocans, viresque inprimis veneris ſtimulans; unde Ovidius ſalaces erucas vocat. Bene ob fervorem cum lactucis, endiviis & portulacis miſcetur, inprimis pro bilioſis; ſola vix fertur niſi phlegmaticis, & Galeno tunc capitis dolores inferre creditur.

7*mo* *Cochlearia* acris herba & ſale volatili abundans, cujus tenella adhuc folia non ingrata nec inſalubria, at parce ob acrimoniam juſculis addenda.

8*vo* *Baſilicum* ſuavis & aromatici odoris, leguminum flatulentiam corrigens, ſuſpectum tamen haberi cœpit, quod veteres crederent, oculis nocere, imo inſaniam & lethargum parere.

9*no* *Piperitis* flatus diſſipans, glutinoſa incidens, vim ventriculi & appetitum cibi augens. Conveniunt his, imo virtute nervina antecedunt ſæpe ſurculi thymi, ſaturejæ, rutæ, meliſſæ, menthæ, ſalviæ, roriſmarini, majoranæ, hyſſopi, quæ frigidis, pituitoſis & languentibus multum proſunt, ſcopo tamen magis medico, quam diætetico. Temperatum condimentum præbent novella germina ſeu turiones, ut lupuli, ſambuci, & inprimis aſparagi: hi co-

ti & butyro, ſale & pipere conditi, appetitum acuunt, celerius quam cetera olera digeruntur, lotiumque pellunt, nec omnino alimonia carent, diu coqui non debent, ne diffluant & amareſcant. Nimio uſu ventriculum debilitant.

THESIS IX.

Tertia claſſis vegetabilium radices eſculentas continet, quæ quia ſub terra latent, nec aëris perflantis, luminiſque ſolaris vim valde experiuntur, ſucci ſunt craſſioris, humidioris & flatulenti; parum nutriunt & ægrius (quam olera) concoquuntur. Diſtinguimus hic, velut olera ſic radices in eas, quæ alimento magis & quæ condimento ſerviunt; alendi ſcopo maxime adhibentur:

1*mo* *Paſtinaca*, a paſtu dicta, quam præ aliis radicibus tribuit; coqui cum carnibus ſolita, vix eſt poſt coctionem flatulenta; candida colore eſt, virtute diuretica & pariter aphrodiſiaca.

2*do* *Daucus* (Carotten, gelbe Wurzeln, Möhren) radix lutea, aromatica quodam modo & culinis frequentior, quæ probum omnino dat alimentum.

3*tio* *Beta rubra* (rothe Rüben) radice rapæ, ſucci deterioris, nec coctu tam facilis, ſecta in orbiculos cum aceto, ſale, ſeminibus carvi, ac raphano ruſticano conditos,

appetitum cient & alvum cum flatu ſtipant.

4to *Rapa*, quæ ob flatulentiam abeſſe a menſis Democritus olim voluit. Galenus medio loco poſuit, inter ea, quæ boni & mali ſucci ſunt: coctu difficilia, ſtomacho noxia & flatulenta; elixa vel aſſa minus inflant, modice alunt, ventrem molliunt, viſum clarificant, venerem ſtimulant, & in Dyſuria, urinæ ardore, tuſſi, faucium aſperitate conveniunt: optima ſunt parva & moderate arida qualia ex Marchia Brandenburgica (Märkiſche.) Referimus huc *Napum* ſativum (Steckrüben) quæ ſpecies eſt raparum oblongarum, raphanis affinium, aromatici non ingrati ſaporis.

5to *Siſarum* (Zuckerwurzel) Tiberio quotannis ex Germania petitum: dulce, coctu non difficile, alens modice, & cum paſtinaca præ reliquis radicibus, teſte Celſo, minus flatulentum: conducit ſtomacho, appetitum excitat, lotium movet, venerem ſtimulat, & Ruellio radicum eſculentarum ſaluberrima dicitur. Additur carnibus, piſcibus & acetariis.

6to *Cichoreum* ſativum (Hindläuften) ſaporis amariuſculi, virtutis aperientis, temperat, abſtergit, bilem & acrimoniam humorum corrigit, & cum oleo, ſale & aceto probum acetarium præbet, maxime pro Ictericis. Sunt cichoracei generis & naturæ temperatæ Scorzonera & Tragopogon

(Hohlwurzel) illa ſaporis ſubamaricantis non ingrati eſt, virtutis lenientis & aperientis, ſæpe ptiſanas ingredientis, hæc ſaporis ſubdulcis, virtute temperantis & lac augentis, aperit, ſecretiones promovet, roborat, & ipſa febre maligna decumbentibus prodeſt, ſolet quoque carnibus & acetariis addi.

7*mo* *Petroſelinum*, cujus jam herba recenſita inter olera: convenit & radix, grati uſus, & cognatum illum ſeleri.

Scopo condimenti magis ſerviunt

1*mum* *Allium*, Agyptiis ſacrum, Græcis rejectum, acre, mordax, attenuans, flatus gignens & diſſipans, craſſioribus cibis pro condimento ſerviens. Cholericis & ad Phthiſin mictumque cruentum pronis metuendum & oculis adverſum; coctione tamen mitius & expectorans: & tunc frigidis, aſthmaticis, paralyticis conveniens, & perſpirationem juvans. Prodeſt ſub alio aëre migrantibus & ad frigora toleranda roborat.

2*do* *Cepa* Aegyptiis ut alia inter Deos habita, ceterum earundem fere virium, miteſcens coctione, acrior ſub cineribus torrendo, ſiccans, calefaciens, pituitam liquans, lotium ciens, lacrymas excutiens; unde Columellæ lacrymoſa dicitur. Hinc frigidis & pituitoſis conveniens, ut & locis ambuſtis, vel etiam in Iſchuria.

3*tio* *Porrum*, tum ſectum tum capitatum, minus quam priora acre & inflans, inprimis elixum ſucci pravitatem & acrimoniam exuit, unde præ reliquis in uſum trahitur. Manſum ſæpe fœcundas reddere & abortum præcavere Salernitanis creditur: voci clariori ſervit; hinc in vocis gratiam Nero per æſtatem ex oleo veſcebatur, ne pane quidem addito.

4*to* *Raphanus* (Rettig) ob ructus flatusque illiberalis cibus habetur, quem digerere Arabes dicunt non digeri. Triplex ſpecies eſt, major, orbicularis & rotundus, qui in orbiculos ſectus & ſale conditus, edulium ruſticorum eſt, & appetitum ventriculi, pituita & acido oppleti, excitans, liberaliori uſu caput gravat, oculos & dentes lædit. *Minor Raphanus* ſeu radicula ſativa minor (Rattisgen) virtutis & ſaporis mitioris, magnatum ſæpe dapes claudit. Optimus eſt longus, tenuis, translucidi coloris, nec facile fragilis. Reſtat *Raphanus ruſticanus* (Meerrettig) acrior, calidior, aperiens, diſcutiens, lotium pellens, frigidum debilemque ventriculum juvans, dum contuſus raſuſque vino & aceto diluitur, additis contuſis amygdalis, non æque cholericis & calidioribus convenit.

THESIS X.

Subjungere placet huic claſſi 1*mo* *Bulbos* eſculentos, hodie exoletos, erant coctu dif-

ficiles & flatulenti, sed iterata coctione molliebantur, & ob vim aphrodisiacam laudabantur.

2*do* *Tubera* terræ sincera & candida, crassi, frigidi & terrei alimenti, paulo ægrius subigendi, ventrem igitur debilem gravantis; sanis tamen robustisque satis congruentis, quo nomine est *solanum tuberosum esculentum* (Cartoffeln) & *helenium Indicum tuberosum* (Erdbirn.)

3*tio* *Fungos* vescos fere fatuos, nisi a condimento sapor accedit: ob lentorem minus perspirantis debiles fere suffocantis: hinc in asthmate, paralysi, cardialgia fugiendos. Raro hac ancipitis cibi voluptate sani fruantur, & sobrie edant, nec nisi coctos bene & conditos. Commendari solent fungi pileolo lato, orbiculari, candicante, odoris suavis. Gallis champignons: laudantur quoque fungi porosi (Morcheln) quæ porositas cum cute ex atrocinerea distinguit ab aliis fungis. Sunt & *Boleti* (Pilze) nostri sunt fungorum maxime insipidi & inodori, succi crudi & tenacis, plebis edulium. Veterum boleti excellentiores erant, quali cum imperator Claudius oblectaretur, eo venenato, insidiis uxoris Agrippinæ periit. Vulgaris species est *fungus piperitis* (Pfifferling) parvus, oblongus, ruber, piperini saporis.

Thesis XI.

Vegetabilium quarta claſſis fructus tum arboreos, tum fruticoſos, tum herbaceos magna varietate & gratia offert, & primis parentibus præ aliis ſe obtulit. Fructus arboreos moris eſt diſtinguere in poma, quæ foris, & nuces, quæ intro exhibent, quod eſui ſervit. Prioris generis fructus diſtinguimus in *horæos*, ſumma æſtate natos, cito fugaces & alentes parum (e. g. ceraſa) ſucci ceteroquin humidioris, maturioris, acidiuſculi, alvum moventis, moderate refrigerantis, in æſtu humorum ſalutaris, in debili tamen ventriculo facile corruptionem ſubeuntis inter flatus & ſpaſmos. Et 2do *Serotinos* ſeu autumnales durabilioris ſucci, vero coctu difficilioris, alvum facile adſtringentis. Illos fructus (nempe horæos) primis menſis, hos (ſcil. ſerotinos) ultimis inferre convenit, quod mora ibi corrumpat, hic coquat ulterius. Diffidit nimis ſalubritati fructuum ſchola Galenica: nec merito quæritur Nonius blandas vitæ inſidias ſubeſſe. Non his noverca natura eſt, nec fallacia ejus munera, ſi rite utaris.

Thesis XII.

Inter fructus arbuteos fugaces ſeu horæos eminent 1mum *Ceraſa*, a Ceraſunte Ponti oppido primum a Lucullo in Italiam illata:

ſucci probi ſunt, licet parum nutrientis, temperant æſtum & ſitim, frenant bilem, excitant appetitum, lotium pellunt, alvum lubricant. Hinc magnus hortorum cultus eſt, & magna differentia in magnitudine, colore, ſapore, figura, conſiſtentia: ita habemus præcocia illa minora & majora (Mayfirſchen) Hiſpanica illa ſeu ſativa majora (Spaniſche Kirſchen): vitrea (Glaskirſchen): cordata (Herzkirſchen): albicantia (Eyerkirſchen): palliata (Mandelkirſchen). Placent dulcia & recentia, ſed præſtant acida, duriuſcula, ſicciora & amaricantia, vi leniter adſtringentia & tonica. Non mirum pro uſu domeſtico etiam ſiccari, condiri, vino infundi, aquas & ſyrupos inde parari.

2*do* *Mora*, tum alba, tum, quæ ſapore præſtant, nigra, quæ matura, ſucculenta, dulcia, vinoſa, & ante ſolis ortum decerpta, admodum æſtivis diebus recreant, diuretica ſunt, & alvum ſolvunt. Galenus, qui fructibus parum favet, non quidem nocentiora mora prunis & perſicis vocat, at facile corrumpi & cibis mixta, pravam indolem ſuſcipere aſſerit; hinc regula nata, comedi debere ante alios cibos, vel ab ipſis jejuniis, maxime dum æſtuant viſcera, & tunc quidem non decerpta urgente ſole, nec niſi probe aqua deluta. Si Horatius dixit, ſalubres peragere æſtates, qui nigris prandia

moris finit: cogitandum eſt ſemper, modica fuiſſe Romanorum prandia.

3tio Pruna ſucci lentioris, flatulenti & in corruptionem proni, exſolvunt ventriculi robur liberaliori uſu, & alvinas dejectiones augent. Sunt ſylveſtria & ſativa; olim Damaſcena majora & minora laudata, hodie Hungarica oblonga & dulcia, nec non pruneola e Galliis miſſa, ſiccata & enucleata. Ordinarie humectant pruna & refrigerant, dulciora plus calefaciunt & laxant. Præſtant ex dulci acida & ſicciora; viliora ſunt humidiora, cerea (Spillinge.)

4to. Mala armeniaca, vulgo apricoces, (Aprikosen) ſiccioris pulpæ, hinc minus in acorem & corruptionem prona. Præſtant majora bene matura & colorata, æſtuanti ventriculo grata; rara olim hodie viliora. Sed ut ſiccis calidiſque & bilioſis conveniunt, ita ventriculo pituitoſo, humido, debili ſub abuſu nocent.

5to Mala perſica (Pfirschen) ex omnibus malis fugaciſſima, minime nutrientia, & ob luxuriem ſucci cito corruptibilia, grata tamen, tantum non omnibus. Plinio pomum innocuum eſt, ipſis ægris expetitum, nec eo innocentior cibus. At Ægineta coaleſcere ſtatim in ventriculo, & improbi ſucci eſſe ait: & Salernitani inſalubrium ciborum primo loco pronunt. Sane ab odoratis, maturis, ſapidis, ſucci modici

& quorum caro a nuce facile abſcedit, ablatis pellibus, ſub uſu modico vini aromatici metuendum vix nihil eſt. Diſplicet Bruyerino vinum ſuperbibere, quaſi ille ſuccus tunc celerius in ſanguinem raperetur. Minus certe ferendi ſunt Salernitani, qui muſtum ſuperbibere ſuadent: nam muſtum nunquam corrigit, aquoſa, inflantia, fermenteſcibilia. Ceterum ut modicus uſus orexin excitat, & judice Dioſcoride ſtomacho conducit; ita ſemper abuſus refrigerat, nimis flatu diſtendit, nervos lædit & putres febres gignit.

6to. *Ficus* melioris ſucci præ ceteris fructibus horæis & plus alentis, bene permeant ventrem; hinc minus inflant, bene vero abſtergunt, & in pectoris renumque vitiis conducunt. Ob nimiam humiditatem voci officiunt, & magis vocales eſſe, qui ficubus abſtinent, cenſuit olim Demetrius Scepſus; inde nobiliores ſunt *Caricæ* ſeu ficus paſſæ, quæ plus calefaciunt, & bene ſimul abſtergunt. Quas cum exportari ex Græcia prohiberetur, Xerxes. Athenæo dicitur, Athenienſibus bellum indixiſſe. Bene cum nucibus & amygdalis caricæ ſumuntur. Ceterum ſuaderi ſemper fructuum horæorum uſus ſolet, vel vacuo ventriculo, vel initio paſtus non fine.

THESIS XIII.

Ad fructus arbuteos ſerotinos ſeu minus fugaces & corruptibiles, quos ultimis menſis, uti horæos primis inferre moris erat, referimus:

1*mo* *Poma* ob dotes non ſpernandas impenſius ubivis culta, nec ab aliis temere quam Arabibus rejecta. Præſtant odorata, acido dulcia, vinoſa, inprimis ſi vel coctione miteſcunt, & flatulentiam exuunt, vel crudum craſſumque ſuccum ultro ſenſim deponunt: in hiemem ſervata, ſucci ſunt modice nutrientis, temperantis, alvum mictumque moventis: immatura vel etiam acerba nimis & auſtera, male digeruntur & alvum ſtipant, nec probanda aquoſa nimis & inſipida, quæ ob luxum humidi facile corrumpuntur, flatu diſtendunt; alvum nimis lubricant; humidis imbecillis, colicis magis fugienda.

2*do* *Pyra* ab ipſis Arabibus pomis prælata; ſecundum Philotomum etiam copioſe ſumta facilius digeruntur paucis pomis: intelligendum hoc eſt de iis, quæ ſunt ſucculenta, acido dulcia, vinoſa, ipſis pomis ſuaviora, confortantia, appetitum excitantia, & nec coctionem nec dejectiones alvinas remorantia: verum aquoſa & inſipida alvum nimis lubricant, flatu diſtendunt, & in corruptionem celerius tranſeunt. Sunt & pyra

acerba, auſtera, quæ cum ſtrangulatu adſtringunt & oneroſo ventriculo ægrius ſubiguntur; bene tamen concocta fortius alunt. De his proprie valet, quod Galenus ait, omnibus pyris vim adſtringentem ineſſe & ubi inprimis coctione opus, quæ flatulentiam vincat. Unde illud ſcholæ ſalernitanæ, dum coquis antidotum pyra ſunt, ſed cruda venenum.

3*tio* *Cydonia* (Quitten) a Cydone Cretenſium urbe dicta: a Virgilio mala cana: aliis chryſomela ſeu aurea dicta, quæ naturæ terreſtris magis ſiccantis & adſtringentis, roborant ventriculum, juvant coctionem, vomitum alvique profluvium ſiſtunt: at magnam vim exſerunt adſtringentem, diureticam, cardiacam, aphrodiſiacam, non alunt multum, ægre etiam coquuntur, & nimio uſu colicis nocent. Integra, matura, cœlo ſereno collecta, præ turbinatis & rotundis laudantur; nec tamen facile cruda in cibum veniunt: cocta licet fragrantiæ multum amittant Saccharo & aromate condita menſarum delicium ſunt & præſidium languentis coctionis.

4*to* *Mala punica* ſeu granata (Granatäpfel) boni ſunt ſucci & ventriculo utilis, adſtringentis & parum nutrientis, ex his acida & non nihil auſtera plus refrigerant & venerem cohibent; ſitim, æſtum, nauſeam ventriculi levant, appetitum & coc-

tionem augent, lotium cient; in cholera & diarrhœa conveniunt. Dulcia & calidiora in morbis pectoris & venere languente commendantur. Vitanda in febribus ob flatus caloremque, vinoſa, mediæ naturæ roborant & reficiunt.

5to *Mala citrea* medica ſeu perſica (Citronen) corticis odorati, amaricantis, cardiaci, & moderate calidi, pulpæ albæ, frigidæ, inutilis, ſucci acidi, refrigerantis, ſitim reſtinguentis, appetitum excitantis, ſolventis, diuretici, venenis reſiſtentis, bilioſis & æſtuantibus congruentis.

6to *Mala aurantia*, corticis magis aromatici, ſubamari, ſtomachici, cardiaci, & carminativi, languentem coctionem excitantis, ſucci vero acidi, citreo multum inferioris. Creditur arbor nata eſſe per inſitionem citri in malum punicum. Eſt ſpecies dulcis, quam vocant *poma ſinenſia*, (Appelſin) rotundiora & ſucculentiora, quorum longe minor eſt in cortice virtus. Hæc omnia peregrinæ regionis poma, nutriunt parum, & magis inter condimenta cum ſaccharo & vino locum habent.

7mo *Dactyli*, (Datteln) fructus palmæ majoris. Præſtant majores, flavi, pleni, carnei, molles, ad corticem flaveſcentes, ad nucleum, qui facile cedit, candicantes, ſaporis vinoſi & mediocriter dulcis: deterioris notæ ſunt, graciles, flaccidi, duri, vermi-

culis arroſi; recentibus & viridibus ob ſtrangulatum & vim caput gravantem nemo veſcitur. Siccati ſalubriores compeſcunt nimios fluxus, aſperitatem faucium & pectoris leniunt, & ægre coquuntur, & ſucco lento craſſo, dulci facile obſtruunt; ipſoſque dentes & gingivas adhæreſcendo lædunt; inprimis male digeſti plus inflant, quam nutriunt; hinc in languore ventriculi & obſtructione jecinoris nocent. Poſſumus ad fructus palmæ, quamvis arte paratos referre *ſagou*: eſt farina ex palma indica, ubi truncus in fragmenta finditur, & ligneis inſtrumentis tunditur pro medulla ſeparanda, quæ excuſſa, & ut molleſcat, contuſa & aqua infuſa, in hanc formam redigitur, ad magnitudinem ſeminis Coriandri; virtutis gelatinoſæ, nutrientis & demulcentis.

8*vo Olivæ*, quæ in Hiſpania maximæ, Narbonenſes minores, Italæ minimæ: maturæ & nigræ gravant nimis oleoſitate & faſtidiuntur; neque hinc ad nos afferuntur (pro eſu), eo copioſius autem immaturæ muria conditæ; quæ ſunt ſucci ſubadſtringentis, ſubacerbi & acido auſteri, quo appetitum excitant, ventriculum roborant, pituitam incidunt, alvum & urinam movent. Non utimur alimenti cauſa, quod nullum eſt, quam quod appetitum excitent, & ad bibendum invitent.

9no. Mespila, (Mispeln) quæ acerba & auſtera ſiccant, roborant, adſtringunt & fluxus nimios compeſcunt, admixto inprimis aromate. Si repoſita miteſcunt ſenſim, cum majori mollitie majorem gratiam acquirunt, & debiliter adſtringunt: alunt parum, copia gravant, & quo magis ſunt fracida, eo citius corrumpuntur. Annectimus adhuc quædam rarioris uſus, & alimenti fere nullius.

10*mo Ceratia* ſeu ſiliquæ (Johannisbrod) ſiccata præ humidis & recentibus in uſum vocant. Dulci lentore morbis pectoris conveniunt, hinc & decoctum inde tuſſientibus parant. Ceterum ſua adſtrictione alvum ſtipant.

11*mo Zizyphæ* ſeu jujubæ, quæ majores, recentes, plenæ, rubræ, dulces proſunt, moderate humectando, acrimoniam urinæ, vel defluxionem temperando & dulci lentore incraſſando.

12*mo Myxæ* ſeu mixariæ, vulgo ſebeſten, (ſchwarze Bruſtbeeren) ſucci craſſi, lenti, frigidi, acre lenientis. Ceterum inflantis potius & obſtruentis quam nutrientis.

13*tio Corna* (Welſche Kirſchen) figuræ oblongæ, coloris rubri ſeu cerei. Quæ acerba refrigerant, ſiccant, adſtringunt, nimios fluxus compeſcunt: at gravant debilem ventriculum.

14*to*

14*to* *Sorba* (Vogelbeer) quæ instar mespilorum acerba & adstringentia: si mollescunt suaviora; vim adstringendi exuunt.

THESIS XIV.

Inter nuces seu fructus arborum, quæ intro habent, quod esui est, & quæ ob oleosam ac farinosam partem plus alunt leniuntque præcipuo loco occurrunt.

1*mo* *Nuces juglandes* (Welsche Nüsse) ex Perside olim allatæ, quasi glandes Jovis; cui antiquitas hanc arborem consecravit. Virides, teneræ, candicantes sunt siccis suaviores, succulentiores & innocentiores; parce quidem nutriunt & facile digeruntur, alvum plus ducunt, acria demulcent. Aridæ minus gratæ plus siccant & excalefaciunt; ægrius digeruntur, & ob cohærentem cuticulam plus adstringunt. Per moram & ætatem rancidiori oleo & acriori sale pectori capitique nocent, rancedinem & asperitatem faucium pariunt, imo ob affectos nervos, linguæ aliquando paralysin inducunt. Immaturæ antequam lignosum putamen induruit, decoctæ, saccharo conditæ, caryophyllis & cinamomo confixæ, palato gratiores, roborant ventriculum, flatus dissipant, lumbricos necant; etiam cortice externo viridi adstringunt.

2*do* *Nuces avellanæ* (Haselnüsse) ab Avella Campaniæ oppido dictæ, ob largiorem

ibi proventum. Sunt fructus coryli, ex quibus præſtant Lombardicæ majores, oblongæ; ſapidæ, ſucco lacteo plenæ, rubra pellicula tectæ & maturæ quidem, nec tamen recentes nimis. Plus alunt juglandibus imo impinguant; at digeruntur minus, & ob ſubſtantiam compactiorem & terreſtiorem gravant ventrem, conſtipant, & ægre deſcendunt, quod maxime de annoſis intelligendum, quæ adſtringente pellicula tectæ a candore & dulcedine deflectunt in flavedinem & amaritiem, ad vomitum irritant & caput tentant. Rhaſes ſtomacho & hepati noxias appellat.

3tio Nuces pineæ (Zirbelnüſſe) ſtrobili, quas arbor pinus ſativa (Fichtenbaum) ſuppeditat: quæ oblongæ, plenæ, albidæ, dulces temperate calidæ, recentes, boni & nutrientis ſucci ſunt; palato grati inſtar amygdalarum: at uno fere ſemeſtri corrumpuntur. Celſus ſtomacho amicas vocat. Poſt lotionem leniunt certe & abſtergunt, in tuſſi, ardore urinæ, eroſione veſicæ, hæmoptyſi, proſunt tabidis, incraſſant acre, nec alvum tamen nec urinam remorantur. Moris eſt macerare illas aqua roſarum & ſaccharo conſpergere vel incruſtare. Vetuſtæ, ſiccæ, pallidæ & flaccidæ rancorem contrahunt & vermium geneſi favent.

4to Piſtachiæ, (welſche Pimpernüſſe) ab arbore, quæ dicitur piſtachia peregrina,

fructu racemoſo. Hæ fructu racematim ex pedunculis pendentes cum pineis & amygdalis amaris, ex quibus illas mole vincunt, ab his vincuntur, virtute conveniunt. Præſtant recentes, ponderoſæ, in apice hiantes, pulpa virides; ſaporis ſubdulcis amaricantis, aromatici ſubadſtringentis, nec ventriculo ingrati, hepati quidem, judice Galeno, utilis. Facilius coquuntur quam juglandes, bene nutriunt, ſed paulo minus quam pineæ, demulcent dolores, incraſſant, roborant, venerem excitant, pectus renesque abſtergunt: rancidas fugere oportet.

5to. *Amygdalæ*, quarum arbor eſt amygdalus ſativa. Illas pariter ad nuces pertinere, notat putamen externum lanuginoſum, internum lignoſum: vox ipſa græca eſt, & Catonis ævo fructus Italiæ incognitus, hinc græcam nucem olim vocabant, latine longam nucem. Præſtant hodie Narbonenſes & Provinciales, quæ Lugduno (Lyon) afferuntur. Optimæ ſunt majores, plenæ, integræ, flaviſſimæ, leves, fragiles, intus candidæ, ſaporis & odoris ſuavis. Deterioris notæ ſunt foris fuſcæ vel pallidæ, intus cinericiæ, molles, flexiles, ſaporis fatui & injucundi. Præferimus recentes vetuſtis, aqua calida maceratas ſiccis. Magnæ de hinc ſunt deliciæ excitamentis dulciariorum. Differunt vero dulces & amaræ, illæ alimenti magis, hæ medicamenti virtutem ha-

bent. Utrinque cortex detrahendus; naturæ terreſtris, ſcabræ, & adſtrigentis: dulces bene & copioſe alunt, emaciatos impinguant, ſemen augent, tenues humores ſine adſtrictione incraſſant, tuſſim ſedant, dolores ſopiunt, ſomnum conciliant, phthiſicis, dyſentericis & in quocumque morbo ex acrimonia nimia, doloribus & vigiliis conveniunt. Ob oleum vero ranceſcunt ſenſim & corrumpuntur in calidiori ventriculo, quamvis lentius, ob oleum melius ſubactum, quam aliæ nuces: amaræ plus incidunt & attenuant viſcoſa, flatus diſcutiunt, frigidæ tuſſi ac dyſuriæ medentur; urinam liberant, ebrietatem arcent, & Galeno judice, nec nutriunt multum nec alvum movent. Diocles tamen multi nutrimenti & jucundi ventriculo vocat.

6to Caſtaneæ a Caſtano Magneſiæ oppido dictæ: Plinio nuces ſardianæ, quod Sardibus primùm proveniſſent. Multum eas nutrire & bonum ſuccum gignere, at ægrius coqui ſentit Diphylus: ſic & Galenus, ſi digeruntur, boni ſatis & nutrientis ſucci eſſe cenſet. At omnino coctu difficiles ventrem plerumque gravant, inflant, alvum ſtipant; hinc non niſi robuſtis & exercitatis infra ſatietatem conveniunt. In vita ſedentaria, ventriculo imbecillo & flatu denſo, in cephalalgia, obſtructione viſcerum, dyſpnœa, fluxibus alvinis, Hæmop-

toë &c. valde nocent. Eligi debent majores, ſapidiores, quibus hodie apud Delphinates & Lugdunenſes præferuntur (macrones vocant) toſtæ inprimis ſub cineribus frixæ & elixæ, minus inflant & nutriunt uberius; & cum ſale & pipere ſumta facilius digeruntur. Panis ex arefactis & in farinam redactis friabilis quidem & durabilis, at coctu difficilior & ægre deſcendens. Pergimus ad fructus edules & fugaces.

THESIS XV.

Fructus edules fruticum ſuffruticumque fugaces, acidiuſculi & exigui plerumque alimenti ſunt.

1*mo* Stirpis groſſulariæ non ſpinoſæ hortenſis rubræ fructus, nomine *Ribeſiorum.* (Johannisbeere) ſunt fructus Græcis fere ignoti, qui nomen Arabibus debent. Sunt baccæ maxime rubræ, vel albæ raro nigræ, nunc majores, nunc minores: ſaporis grati, dulcis, acidi. Solvunt tenui ſucco, ſitim æſtumque & faſtidium cibi corrigunt, moderate adſtringendo ventriculum roborant, profluvia ſiſtunt, putredinem cohibent, & in bilioſa colluvie proſunt. Æſtate crudas aqua ablutas & ſaccharo conſperſas edere juvat. Immodicus uſus diſſolvit nimis, refrigerat & ſtuporem dentium parit, debilibusque & acido laborantibus nocet. Sicca-

tis conditisque bene per hiemem utimur in victu animali.

2*do Grossulariæ* vulgaris uvæ crispæ, (Stachelbeer) quæ maturæ subflavæ & subrubræ, molles, dulces, vinoso succo plenæ, & temperate adstringentes, esu jucundæ sunt. Immaturæ, virides, gustu austeræ & validius adstringentes, carnibus, piscibus & pullis gallinaceis, saccharo conditæ, ut condimentum saporis gratia adduntur: appetitum stimulant, sitim sedant, alvum liquidiorem & alios fluxus compescunt, at parum alunt.

3*tio Mora rubi* (Brombeer) vulgaris, qui major (frutex) dat majora & nigriora, minor minora. Non ingrata sunt matura & nigra, leniter adstringunt, bene solvunt & meant, pectusque & renes expurgant: sed merito ante esum aqua abluuntur. Minus matura, rubra & adhuc acerba adstringunt magis, stipant ventrem; sique siccantur, fluxibus nimiis commode opponuntur.

4*to Mora Rubi Idæi* (Himbeer) perjucundi, coloris rubri vel albi, succi suavis, teneri & fragrantis, moderate refrigerant & reficiunt, subadstringunt, biliosisque siti & æstu correptis pulchre subveniunt: vermibus tamen & corruptioni cito obnoxia, moram non ferunt, sed recens decerpta & bene abluta comedi debent, etiam vinum

ſuperbibi. Grata ex iis ſuppetunt aqua, ſy- rupi & acetum.

5to Baccæ Berberis, (Berbersbeer) aperientes, refrigerantes, ſubadſtringentes, quæ appetitum cient, æſtum temperant, & in vomitu, diarrhœa bilioſa, hæmoptyſi & incontinenria urinæ merito laudantur: at imbecillo nimis & frigido ventriculo negantur; quia ob nimium acorem edi vix poſſunt. Moris eſt ſucco, tabulis & condito uti.

4to Cynosbata, (Hambutten) fructus roſæ ſylveſtris, qui maturus & rubens, exemtis ſeminibus & lanugine ablata ſiccantur: cocta deinde cum vino vel aqua & ſaccharo additis paſſis exhibentur. Refrigerant, ſiccant, adſtringunt intenſius, hæmorrhagias cohibent, in æſtu ventriculi proſunt, calculi geneſin impediunt, imo natum ſæpe ejiciunt.

7mo Uvæ vinaceæ, vitis viniferæ, quibus cum ficubus principatum inter autumnales fructus Galenus tribuit, tum quod plus reliquis nutriant, tum quoque pravi ſucci minus ſuppeditent. Cedunt tamen utroque nomine ficubus, & inter ſe quoque differunt, prout vel acidæ, vel dulces, vel vinoſæ ſunt, vel recentes vel ſiccæ. Acidæ & auſteræ frigidiores, coctioni & diſtributioni non nihil repugnant, inflant magis, parce alunt, alvum & urinam morantur: Dulces plus ca-

lefaciunt & sitim excitant, alvum vero subducunt, & carnem magis generant sed fluxam: vinosæ intermedio loco sunt. Ceterum & uvæ & ficus recentes perspirant parum, quin & aliorum ciborum perspirationem impediunt, judice Sanctorio; ubivis: moderatior usus convenit, & maturiorum dulciorumque delectus. Diuturnior in ventre mora corrumpit. Diarrhœam & colicam parit; ubi simul notamus; si caro uvarum superat succum, plus alere, si succus carnem alere minus & humidiorem alvum reddere, rejectis inprimis, ut decet, folliculis acinisque. Siccantur uvæ ad solem; vel in umbra vel clibano; se habent ad recentes (uvas) ut caricæ ad ficus, plus nempe nutrimenti & salubrioris suggerunt & minus corrumpuntur. *Majores*, quæ dicuntur *uvæ passæ* (Rosinen) dulces, pingues, tenero folliculo tectæ & ab arillis repurgatæ; pectori conducunt leniendo detergendoque, in vitiis hepatis multum laudatæ; minus quidem quam caricæ detergunt alvumque deducunt, at plus stomachum roborant. Maximæ vocantur damascenæ, ab Arabibus zibebæ. Nos hodie laudamus Marsilienses. *Minores* seu *passulæ*, vulgo uvæ corinthiacæ, (Corinthen) dulces, nigræ & subadstringentes, roborant, leniunt, detergunt, acre temperant: hinc in tussi, asperitate faucium, ardore urinæ, sabulo renum con-

veniunt, velut in vitiis renum magnopere laudantur, ita damnari ſolent ex inani hypotheſi in vitiis ſplenum. Paucis adhuc de uvis notamus: ſuccum uvæ acerbæ agreſtam vocari; muſtum vero ipſum uvarum incoctum, ſi pars tertia remanet ſapam, ſi dimidia defrutum, ſi tertia carenam apellare.

8vo Vaccinia (Heidelbeer) baccæ nigræ ſuffruticis humilis, qui Matthiolo myrtillus dicitur. Adſtringunt alvum, fluxus reprimunt, debilioribus non ægre conveniunt. Sunt & vaccinia rubra fruticis myrtilli exigui, ejusdem fere virtutis frigidæ & adſtringentis (Kräuſelbeeren) ut & paluſtria, quæ Cordus oxycocia vocat, æſtum ſitimque ſedant, & appetitum cibi ex bilis vitio dejectum reſtituunt. Addere liceat, recenſitis fruticum fructibus cum quibusdam:

9no Cappares (Kappern) licet proprie non fructus ſint, ſed rudimenta florum fruticis exotici aculeati, in Cypro copioſe provenientis. Præſtant cum aceto & ſale conditi, quibus vis non tam alimenti quam condimenti eſt. Lapſas ventriculi vires & appetitum inſtaurant, pituitam detergunt, alvum & urinam movent, hypochondriacis, paralyticis, ſpleneticis & quartanariis conveniens. Cappares majores proprio ſucco placent, minorum ſapor eſt a muria & aceto.

THESIS XVI.

Agmen vegetabilium claudunt fructus herbarum, inter quos eminent:

1*mum Fraga* (Erdbeeren) ceteris fructibus priora & usu frequentiora, in montibus aliisque umbrosis locis crescentia, vel etiam in hortis culta; Græcis olim incognita. Sunt fructus fragariæ seu trifolii frugiferi dicti, Servio mora in herbis nascentia. Succi sunt vinosi, subdulcis & reficientis, odoris fragrantis, coloris rubri, rarius albi, alimenti tenuis & aquosi. Humectant, sitim æstumque reprimunt, appetitum cient, alvum solvunt, viscera aperiunt, renes expurgant; juvenibus tamen & biliosis magis quam senibus & phlegmaticis conveniunt. Mirum est cum humi nascantur, insectis proxima, nihil virulenti suscipere, nihil alieni saporis. Optima sunt recentia, majuscula, mollia, odora, rubentia, bene lota, primis mensis non ultimis exhibeantur, quia ob moram facile corrumpuntur, in ventriculo inprimis debiliori: salubrius cum vino sacharo & pauco aromate eduntur, nec tamen cum ipso lacte dulci damnamus. Hortorum cultura amplitudinem auxit non virtutem.

2*do Cucumeres*, quorum nomen late comprehendit omnes fructus cartilagine tectos, & supra terram crescentes, ut ipsas cucur-

bitas & melones: ſtrictiori ſenſu intelligimus cucumeres ſativos eſculentos (Gurken) quos erudita gula immaturos, parvos, virides, parum ventricoſos cenſet ſuaviores & innocentiores: adultos, flavos, maturitati proximos plebi relinquit; his etiam licet crudis impune robuſtiores veſcantur; pravi tamen ſucci ſunt, frigidi & maxime corruptibilis, valde diuretici & venerem exſtinguentis, colicam, diarrhœam & putridas febres facile parientis. Moris eſt diſcindere in taleolas, ſalſugine conſpergere, deinde ſuccum magna parte exprimere; reſiduum oleo, aceto & pipere condire, & aſſarum carnium eſui ſociare. Parvulos etiam integros cum anetho, macere, caryophyllis, lauro, aceto condire, & ſic gratam oculis viriditatem conſervare diu ſolent: in his, uti minor eſt corruptibilis humoris copia, ita bilioſis & ſcorbuticis inprimis robuſtioribus ſæpe conveniunt.

3*tia Cucurbitæ* (Kürbis), quas oblongas, ſulcatas, capitatas, maculoſas habemus, frequentioris uſus in calidioribus locis, vix plene matureſcentes in frigidioribus. Sunt admodum humidæ, inſipidæ, fatuæ, flatulentæ, ſitim, æſtum, acrimoniam temperant, alvum lubricant, modice alunt, nec gravant ventriculum, niſi mora corrumpat. Crudæ alvum magis ſolventes vix admittuntur ad menſas; coctæ cum juſculo

carnium in pultem, seu frixæ in sartagine, aut varie conditæ, multum humidi, flatulenti, corrruptibilis deponunt, alvum non æque solvunt, calidis siccisque non denegandæ.

4*to* *Melones*, qui sub nomine cucumerum olim latuerunt, a Tiberio appetiti, & quorum odore, Dioscorides scribit, revocari multos a deliquio animi, quod dici nequit de vulgari cucumere; quamvis negent Josephus Scaliger & Isaacus Casaubonus, olim cognitos fuisse melones. Crudi sunt epulum æstivis caloribus gratum, saporis dulcis & jucundi, odoris fragrantis, quod tamen Panarolus principum decretis ab humano usu excludi debere censuit. Dissimulanda non est ex liberaliori usu noxa, multis fatalis, quam luxurians succus, valde corruptibilis per choleras, vomitus & febres putridas minatur. Attamen solidiores dulcioresque moderate exhibiti torpentem æstu ventriculum reficiunt, sitim extinguunt, facile permeant, vias renales detergunt, lotiumque pellunt, inprimis si sumuntur cum saccharo & pipere, & aliquid generosi vini superbibitur. Addimus tantum nocere pleno ventriculo, & adeo parum secundum Sanctorium perspirare, ut quadrans perspirabilium supprimatur. Huc pertinent *Pepones*, referuntur ab aliis ad cucurbitas, ab aliis ut Julio Alexandrino & Andrea Matthiolo ad melones

noſtros : veteres avide edebant, vulgares a plerisque cenſentur ſucci inertis magis & improbi, vim ventriculi labefactantes.

5*to*, *Cinaræ*, vulgo artikokæ (Erdſchoken) cardui hortenſis ſive ſativæ non aculeati, fructus globoſi ex ſquamis compacti, ſuperius virentes & lignoſi, inferius carnoſi albidique. Coquuntur cum pingui carnium juſculo, nec niſi miſcela aromatum macis inprimis & pipere ex ſquamarum unguibus & medio diſco capitur, quod grati ſaporis & modici nutrimenti eſt, ventriculo poſt dejectum appetitum amici, nec ægrotantibus noxii, non nihil tamen flatulenti; urinam expellit fœtidam, venerem excitat, ad potum præparat &c. Addimus ultimo &

6*to* *Tribulum aquaticum* ſeu lacuſtrem (Waſſernüße) jam Dioſcoridi & Theopraſto ac Plinio, qui panes inde Thracibus confectos ſcribit, cognitum. Refert fructus aculeatam & cornutam nucem : nucleus albidus & edulis eſt. Elixatur vel aſſatur ut caſtaneæ, ſaporis ſubdulcis, alimenti exigui, incraſſat, inflat, & raro menſis infertur.

MEMBRI I. SECTIO II.

DE VICTU ANIMALI.

Thesis I.

Sanctum illud naturæ inſtitutum, ſub quo rerum alentium vires, quæ indigentiæ noſtræ conſulunt, ipſo guſtu cognoſcimus; primos mundi incolas edocere potuit animalia etiam nobis in cibum deſtinata eſſe, quæ etiam corpus liberalius ſuſtentant (præ vegetabilibus.) Quodſi quibuſdam juſtum videatur dubitare, primo illo ævo permiſſum & in uſum vocatum fuiſſe victum animalem. Dubitare tamen non licet, illum mox ſubſequente imbecilliori ævo, ubi fragilior valetudo & proventus vegetabilium poſt diluvium parcior & inſalubrior fuit, non magis voluptatis quam indigentiæ & ſalubritatis cauſa ſerviiſſe. Quod & facile ſuadere potuit creſcens animalium multitudo, & metus, ne horum idololatricus cultus, qui paſſim evaneſcere cœpit, magis radices ageret. Sane victus animalis naturæ corporis alendi cognatior, & in eandem converti aptior, cum partes minus alienas & excrementitias vehat, facilius coquitur

& in naturam noſtram aſſimilatur. Agnovit Hippocrates imbecillos cibos eſſe, quos ager & hortus ſuggerit, & vitam exiguam præſtare. Ita Galenus optimum ſanguinem eſſe ex carnibus bene coctis judicat. Celſus quoque plus in carne (quamvis hic multi panem legere malint) quam ullo alio cibo eſſe nutrimenti, aſſeverat. Adde illud Avicennæ, plus noxæ eſſe ex pane minus cocto, quam carnibus incoctis. Suſpecta tamen nobis videri debet ipſa copia animalis alimenti, quia, quo elaboratius eſt (ſcil. alimentum) eo citius alcaleſcit & putreſcit: gignitur eſu nimio carnium plethora, & febres accendit, ut omnino Proſpero Alpino ſuffragemur, qui exemplo ab Aegyptiis petito, longævitatem a temperatiſſimo victu animali expectat.

THESIS II.

Neque vero ulla carnium ſalubritas eſt, niſi conſtet, a ſanis animalibus eſſe, ferro peremtis, quæ nec morbus conſumſit, nec niſus in venerem viroſi ſucci plena reddidit, nec pruina venenatis herbis adſperſa, nec venenum, nec ictus fulminis, nec morſus animalium rabidorum læſit aut exſtinxit, circa quæ merito vigilant leges, & morbidi pecoris inſpectores macellis præficiuntur.

Thesis III.

Ætatis quoque & ſexus ratione habita ſalubriores animalium carnes diſtinguimus: ſenilia aut labore attrita animalia dant carnes duras, marcidas nec longa coctione emolliendas, exigui, pravi nec ſapidi alimenti: carnes recens natorum, licet nec coctionem, nec alvi excretionem remorentur, ſunt mucoſæ nimis, molles, humidæ & excrementis refertæ. Laudamus carnes animalium mediæ ætatis, & præ femellis maſculorum, inprimis caſtratorum, quippe ſicciores, calidiores, alimenti magis ſapidi, firmi & excrementis vacui.

Thesis IV.

Nec momenti nullius eſt ad patriam his vel illis animalibus magis propitiam attendere: ita boves in Anglia, Polonia, Hungaria, Friſia, Jutia; verveces in Scotia: vituli Florentini: capones Leodienſes: & inter piſces, ſalmones in Rheno, Viſurgi & Albi; cancri ad Oderam; lupi ad Spream præferuntur, cum patria conſideretur. Locorum in eſt eadem varietas: deterior animalium caro eſt in locis paluſtribus, elaboratior & ab excrementitiis partibus liberior in locis montanis & calidioribus, ita ferarum melior caro eſt, quam cicurum & domeſticorum.

THE-

THESIS V.

Nec prætereunda eſt varietas pabuli, quo ſuſtentantur animalia. Valde differt ſagina porcorum, quæ nunc fit ex glande fagina nunc quercina, nunc frumentis, nunc piſis. Ex glande fagina mollior caro eſt, ex quercina duriuſcula, melior & gratior, ex frumentis pinguior, ex piſis ſtabilior; ex arundine ſaccharato, quo porci in inſula ſancti Thomæ nutriuntur, ſuaviſſima & delicatiſſima. Accedit temporum ratio: ita boum caro, dum per hiemem ſtramine & fœno veſcuntur, tam probi alimenti eſſe nequit, quam autumno poſt prægreſſum melioris alimenti uſum. Illud vero inprimis notamus; ſalubriores eſſe carnes animalium frugilegorum, quam eorum, quæ ex raptu aliorum animalium vivunt. Medio loco ſunt, quæ uterque victus vegetabilis & animalis ſuſtentat. Horum carne paulo parcius & cautius; frugilegorum tutius & plenius uti licet; a mere carnivoris ipſe faſtidii ſenſus avocat.

THESIS VI.

Circa ipſum præſentem uſum ſalubriorum carnium præferimus ſemper recentes, quippe molliores & ſucculentiores, quæ facilius digeruntur & melius nutriunt, quam vel gelatæ, vel ſale aut fumo duratæ, vel in aceto ſervatæ; ex his gelatæ ſunt (Sulz)

in quibus macra & pinguia diſſecta & mixta, in linteo ſub aſſeribus poſito, exprimuntur, & per aliquot menſes aſſervatæ, multum ſucculentæ mollitiei, quæ in recentibus erat, perdunt. Carnes ſalitæ, humido ſuo gelatinoſo ſpoliatæ parum alunt, ſanguinem acriorem reddunt, ſiccant, ſitim, calorem, maciem pariunt, nec niſi tempore hiemali, quippe humidiori, poſtquam per noctem aqua maceratæ, craſſiora ſalſamenta exuerunt, tuto ſatis in uſum vocantur. Moris vero eſt non alias carnes ſalire, quam humidas & pingues, maxime ſuillam & bovillam ac vervecinam, nunquam macilentas, quæ inſtar corii ſaliendo dureſcunt; infumatæ etiam difficilius digeruntur, paucum & pravum alimentum præbent, exhalante nobiliori, obſtructiones pariunt, alvum ſiſtunt, ſitim creant, & ad morbos chronicos admodum diſponunt; ſervatæ in aceto, durabilitatem quidem & friabilitatem accipiunt, & hoc nomine dictis præferendæ ſunt, nec tamen pro crebriori uſu & ſpe alendi pares recentibus; quas (recentes) tamen ipſas, ut molleſcant magis & tenereſcant, non illico mactatas comedere, ſed aliquamdiu in aëre ſuſpendere, ſique dura valde & fibroſa compages ſit, contundere malleis juvat. Secundum dicta bene Oribaſius ad mollitiem & friabilitatem carnium, tanquam nutrientis virtutis præſtantiora ſigna attendens: ſi

utraque adeſt, ad plenam edere ſatietatem; ſi alterutra, infra eam, ſi neutra, magis reſtringere uſum jubet.

THESIS VII.

Jam omnes ſpeciatim claſſes victus animalis ingreſſuri, hoc de iis judicium præmittimus: carnes quadrupedum plus alimenti & firmioris præbere, & difficilius coqui: carnes avium facilioris coctionis & ſalubris alimoniæ eſſe, nec tamen pari conſtantia vires ſuſtentare: carnes denique piſcium, a noſtra natura magis alienas, alere minus; quamvis plerumque non ægre digerantur.

MEMBRI I. SECTIONIS II.

CLASSIS I.

DE VICTU QUADRUPEDUM.

THESIS I.

Prima claſſis hujus victus comprehendit carnes animalium quadrupedum ex genere tum bubulo, tum ovillo, tum caprino, tum ſuillo. In genere bubulo, ubi prima ætas vitulum, altera juvencum, tertia taurum, bovem & vaccam ſiſtit, notamus:

1*mo Carnem vitulinam*, quæ humidior, tenerior, & in bonum copioſumque ſanguinem converti aptior, parvum digeſtionis molimen requirit: hinc otioſis, vel debilioribus, vel morbo exhauſtis convenit. Aſſata inprimis ob majorem humiditatem, vel cum aromatibus, aut fragrantibus herbis, aut ſeminibus cocta. Circa ætatem notamus: vitulum infra menſem dimidium, lentore ſuo, ſupra menſem ſecundum, ſiccitate ſua recedere multum a ſuavitate & ſalubritate, quam intra dictum tempus caro ejus habet, ſolo lacte ſuſtentata. In caſtratis tamen ſub uberibus teneritudo illa ad ſemeſtre vel integrum annum in ſimili victu lactis conſervatur.

2*do Carnem juvencorum*, quæ vitulina ſiccior, bovina humidior, non illaudabile præſtat alimentum, maxime in juſculis.

3*tio Carnem bovis caſtrati*, nam caſtratus miteſcit ad ſaginam & aratrum aptior; hinc, modo per ætatem & labores non nimis ſit emaciata & calloſa, alimentum dat coctu quidem difficilius, at ſolidum, firmum ac durabile, ruſticis, foſſoribus, nautis aliisque robuſtis & exercitatis præ vitulina conveniens. Infantibus, vel qui ſunt vacillantis valetudinis, cautius illa caro detur, quippe ob difficiliorem digeſtionem infarctus pariens & febres.

4*to Carnem tauri*, qui ſpeciem propagat, illa durior, compactior & graveolens ob coctionis difficultatem & inſuavem ſaporem, craſſamque & improbam alimoniam ab epulis honeſtiorum rejicitur.

5*to Carnem vaccinam*, plerumque annoſam, coctu difficilem & craſſi ſanguinis feracem, quia raro vaccæ niſi effœtæ & lacte exhauſtæ ad macella feruntur.

THESIS II.

In genere ovillo notamus: 1*mo Carnem agninam*, quæ olim lautiores menſas inſtruxit; hodie ut humida nimis, lenti ac viſcoſi ſucci, nec facile diſtribuendi faſtiditur. Agni tamen anniculi, & qui in paſcuis ſiccioribus herbas odoratas decerpunt, ſunt ſapidioris ſalubriorisque alimenti & facilis digeſtionis, maxime pro debilibus & minus exercitatis, qui ſolidiori nutrimento haud egent. Præſtat ex eadem cauſa aſſam comedere.

2*do Carnem ovillam* verno tempore ex nutrimento virentium herbarum in altioribus locis capto præſtantiorem, æſtate deteriore: annoſis poſt frequentem partum ovibus, ſuccus pravus eſt, lentus & excrementitius, nec facile ſubigendus: Nauſeoſa etiam pinguedine vomitum & alvum ſtimulans. Juniorum victus metuendus non eſt, licet non plane expers excrementitiæ humiditatis.

3*tio. Carnem vervecis* ſeu maris ovium caſtrati, quæ in omni ovillo genere optima, ſapidiſſima, bene & copioſe alens & perſpirans, inprimis ſi recte prius præparatur & malleo tunditur, ut tenereſcat. Caro annoſiorum coctu difficilior eſt, gravat debilem ventriculum, obſtruit, colicam parit & pinguedine offendit. Semper præſtat caro anniculorum vel bimulorum, in aëre ſicco lociſque montanis paſcentium & moderate pinguium.

4*to Carnem arietis*, qui dux eſt gregis ovilis (mas non caſtratus) & in venerem perpetuo ruit. Merito menſis exulat, tanquam coctu difficilis, alimenti improbi, ſaporis viroſi, odoris fœtidi. Aëtio poſt hircinam peſſima dicitur.

THESIS III.

In genere caprinorum notamus:

1*mo Carnem hædorum*, qui ortui propiores diffluunt fere humiditate, nimis remoti aliquid viroſi ſpirant. Lactentes, bimeſtres aut trimeſtres, omniſque alieni pabuli expertes, dant alimentum tenue, probum & ſine molimine digeſtionis alens: hinc delicatulis & otioſis & præſertim ex morbo ſurgentibus unanimi medicorum judicio convenientiſſimum, verno præſertim tempore ſi aſſa exhibetur, ubi ceterorum quadrupedum carnibus præfertur. Superat hæc caro

caprinam, uti vitulina bovinam, agnina ovillam, imo ſuperat ſiccitate & ſalubritate, non agninam modo, ſed & ipſam vitulinam Averrois judicio, a quo ipſe Galenus haud diſcrepat.

2*do Carnem caprarum*, quas ſemper morbidas Ariſtoteles, nunquam febre liberas Varro, inprimis vero epilepticas Plutarchus, & ideo epilepticis infeſtas Hippocrates tradunt. Ne addam quod veratri (ſeu hellebori) & cicutæ eſu vim venenatam contrahere multis videantur. Quæ licet admitti omni ex parte nequeant; caro tamen inprimis autumno ſicca, calida, macra, graveolens, pravi, craſſi & acrioris ſucci eſt, & teſte Hippocrate, præ bubula flatus, ructus, choleraſque parit: vere tamen & æſtate ob ſalubrius pabulum melior, odoratior, ſuavior, ſi rite digeritur. Firmum dat & diu permanens alimentum, Clitomachi athletæ exemplo. Imo hinc Græcis in deliciis fuiſſe ex convivio homerico Achillis intelligitur.

3*tio Carnem caprorum*, qui in juventa caſtrati mire pingueſcunt, nec malam alimoniam impertiuntur, rectius tamen dum adhuc hædi ſunt, in cibum offeruntur.

4*to Carnem hircinam*, (eſt mas non caſtratus) quæ ob duritiem, fœtorem & ſalacitatem animalis, ſtomacho ingrata, coctioni rebellis & ſucci peſſimi plane rejicitur.

Thesis IV.

In genere ſuillo notemus: 1*mo Carnem porcillorum*, (Spanferkel) lactentium præhumidam, mucoſam, excrementitiam, exigui alimenti, & facile diſſipandi. Aſſa caro præſtat: hinc totos aſſatos, inciſis viſceribus & aromate refertis, opiparæ menſæ inferunt.

II, *Carnem porcorum caſtratorum*, quæ mediæ ætatis, glandibus & frumentis paſtæ, circa brumam mactatæ, nec macræ nimis nec obeſæ, ad gulæ illecebras & corporis alimoniam apprime facit, & Hippocrati caro omnium optima; Galeno omnium nutrientiſſima habetur. Carni humanæ ita congruit, ut hæc, referente Galeno, cauponum ſcelere hoſpitibus loco ſuillæ exhibita, nullo vel ſaporis vel odoris diſcrimine ſuſpicionem fraudis moverit. Ob glutinoſum lentorem caro ſuilla coctionem quidem moratur, at ſubacta, dat conſtans & mire ſuſtentat robur virium, quod robuſtiſſimorum athletarum exemplo apparuit, ſub alio victu fatiſcentium. Abſtineant tamen, ſeu moderatius ſumant ſenes, flatulenti, otioſi, biloſi, & qui ſunt languidioris ventriculi, quos caro hæc, liberalius ingeſta, obſtruit, viſcidiori ſanguine replet, & febrium recidivas parit. Atque hos inprimis ſpectat illud Sanctorii, non modo non per-

ſpirare carnem ſuillam, ſed & perſpirationem aliorum eduliorum cohibere. Adde carnem recentem facilius coqui, quam ſale maceratam, hæc æque quam modico fumo, ſiccata, multis eſu gratiſſima eſt. Priſcis celebrabantur ſumina, ſuccidia, vulvæ; nobis maxime pernæ, petaſones & farcimina ſufficiunt. Uſus liberalior ob ſucci craſſitiem & coctionis difficultatem vim obſtruendi, alvum ſtipandi & caput gravandi habet.

3*tio* *Carnem verris*, ſeu porci non caſtrati, quæ duriſſima & vitioſi ſucci vix laborioſiſſimis ex infima plebe convenit.

4*to* *Carnem ſcrofæ* (mater porcorum) quæ fœtus cauſa alitur, & effœta inutiliſque, ſi mactatur, craſſiorem dat agreſtioremque cibum & coctu difficillimum.

THESIS V.

Ad carnes quadrupedum hodie penitus rejectas, nec niſi annona obſidionumque calamitate guſtari ſolitas pertinent:

1*mo* *Felinæ*, quæ aëri expoſitæ, ut viroſum illud exhalet, ad leporinæ carnis ſaporem accedunt & cauponum flagitio ſubſtituuntur.

2*do* *Caninæ*, a Thracibus olim quibuſdam amatæ, maxime catulinæ, quas Diocles ipſis ægris indulſit, & qui caſtrati & pingues, imo magis etiam catuli lactentes amari ſolebant.

3*tio Aſininæ*, quas Hippocrates ait, facile per alvum ſecedere, quod forte de pullis intelligendum, quibus olim, teſte Plinio, tantopere eſt delectatus Mecænas. Carnem aſelli bene habiti carni cervinæ proximam Galenus judicat.

4*to Equinæ*, aſininis leviores, quæ nec ſemi-crudæ faſtidiuntur Tartaris. Aſſæ etiam Perſarum olim convivia ornabant.

5*to Camelinæ*, luxu olim Heliogabali in convivia protractæ; nec tunc inſuaves, ſi Ariſtoteli credimus, quando cameli a partu ad alteram conceptionem lacte abundant.

Nolim *elephantinam* carnem addere, quæ Trogloditis in uſu fuit. Fruſtra veſcimur glandibus, cum abunde ſuppetant fruges.

THESIS VI.

Carnibus domeſticorum quadrupedum ſubjicimus ferinas, inter quas præcipuo loco ſunt; cervorum, damarum, caprearum, leporum, & porcorum ſylveſtrium, (ſeu aprorum ſylveſtrium) ex his:

1*mo. Caro cervina* tanquam alimenti pravitate aſininis proxima, Galeno a menſis noſtris excluditur, ut craſſa, coctu difficilis, obſtruens & melancholici (i. e. craſſi, pravi,) ſucci. Alvum ſtipare Hippocrates, quartanam gignere Avicenna tradunt. Cuncta hæc (prius tradita) de ſenioribus facile largimur; nec de libidine incenſis

negamus, virofam & infalubrem carnem effe, in fine Augufti & menfe Septembri; at hinnulorum & fubalonum (Spieshirsche) etiam in trimatu conftitutorum, maxime antequam cornua erumpunt, caftratorum caro tenerior eft, humidior, fapidior, coctu facilior, & falubre non minus quam lautum ferculum: cervulis vero, quas Julius Alexandrinus ait, nondum natos ex utero exfcindi, mucofus, crudus, infalubris fuccus eft.

2*do Caro damarum* (Dannhirsch) quæ media inter cervos & capreas, his durior, illis tenerior eft. Componit Julius Alexandrinus falubritate hanc carnem cum aprugna; caprearum coctu facilior & tenerior eft, aprugna conftantioris alimenti. Laudantur & hic hinnuli, a matris ubere rapti.

3*tio Caro caprearum* (Rehe) quam melioris fucci & humanæ naturæ congruentioris, quam reliqua animalia fylveftria Simon Sedi judicat. Cornelius Celfus inter alimenta valde nutrientia refert. Sunt præ reliquis teneræ, temperatæ, grati faporis, boni & copiofi nec coctu difficilis alimenti; humidiores tenerioresque funt capreoli: ficcioris ac firmioris cibi caprei.

4*to Caro leporina*, prifcis & recentioribus laudata, modo quod illi armos prætulerint, hi lumbos, feu fpinæ mediæ partem callofam. Lepufculi ventre exfecti, vel ab ube-

ribus matris rapti, suaderi solent debilioribus, & ex morbo resurgentibus; verum mucosior hæc caro est, & salubrior bimestris ad octimestrem, leporum inprimis masculorum & montanorum circa brumam; tenera quippe, suavis, coctu facilis, alimenti probi, & ut ajunt, gratiam formæ conciliantis, quæ tamen sine dubio bonæ alimoniæ effectus est.

5*to Caro aprugna*, quæ cervinam & ferinas omnes bonitate superat, siccior quippe motu, elaboratior ac tenera, carne etiam suilla domestica præstantior, vere præsertim & autumno, ibi (vere) ob saginam ex novellis germinibus, hic ex glandibus arborumque fructibus. Juniorum caro (Frischlinge) tum teneritudine tum facilitate coctionis, suavitate saporis, salubritate alimoniæ primum inter omnes carnes mereri locum videtur. Annosa durior, lentior, coctu difficilior, non nisi robustioribus convenit. Tempore subationis (si in venerem ruunt) tanquam fœtens omnis negligitur.

Thesis VII.

Ad carnes ferinas, quæ ob minorem gratiam & salubritatem raro appetuntur, referimus:

1*mo Carnem cuniculorum* (Kaninichen) qui forma victuque cum leporibus conveniunt. Altiles pinguiores & humidiores sunt,

at ſucci excrementii & ſaporis injucundi: ſylveſtres mediæ ætatis carnem habent opiparis epulis haud negandam, imo leporina teneriorem, candidiorem, ſapidiorem, ſalubriorem & magis nutrientem, nec tam coqui, quam aſſari & panificiis incruſtari ſolilitam. Tenellorum imo ventre exſectorum nimia teneritudo eſt, & alimentum mucoſius: annoſorum indurius & lenteſcens deflectit: ſenibus & melancholicis vitandum.

2*do Carnem onagrorum*, (wilde Eſel) Perſarum olim regibus in deliciis. Cervinæ proximam Galenus dicit, imo teneriorem, teſte Xenophonte, modo juniores ſint. Plinius pullos boni in Africa ſaporis laudat dictos laliſiones.

3*tio Carnem bubulinam* (Büffel) ſeu bovis feri, compactiſſimam, lentiſſimam, coctu difficillimam, improbi & obſtruentis ſucci ab epulis delicatioribus merito rejectam.

4*to Carnem ſciurorum*, (Eichhorn) quæ aſſa non inſuave præbet venatoribus edulium.

5*to Carnem erinacei* ſuilli & porcini, dicti a voce & roſtro ſuis vel canis. Caninus prorſus rejicitur: ſuillus menſe Auguſto pinguior, ſucci tamen ſemper pravi & acrioris eſt.

6*to Carnem urſorum* illiberalem, inſalubrem, coctu difficilem, licet Lapponibus in

deliciis habitam. Catulorum tamen caro æque ſuavis ac ſapida eſt ; quam alia ferina (judice Bruyerino) maxime ſi aëri aliquamdiu expoſita tenereſcit , & aromate condita aſſatur. Ælianus inter cibos ſuaviores refert anteriores, ob efficientem magis humorem excrementitium. Omittimus *carnem vulpinam* ob viroſum odorem extra autumnum, tunc autem ab eſu uvarum pinguiorem ; & Galeni ævo laudatam; & Bruyerino teſte Galliæ ruſticis familiarem qui eam elixare ; aſſare & ſuaviter epulari ſolent. Idem valet de *carne taxi*, quam ex ſimili eſu uvarum pinguiorem, tunc Savanarola cum aprugna comparat. Geſnerus etiam ait, in Germania edi cum piris. Nec tango *carnem leoninam* ſicciſſimam ; coctu difficillimam. Barbaris tantum prope Caucaſum olim cibatam : nec *lupinam* ſemper noxiam. Sed quid non gulæ audacia tentavit? Ipſas enim *glires* (ſylveſtres nempe) media hieme pinguiores luxus Ganeonum appetiit. Imo ob hujus gratiam gliriaria ſtruxit Romanorum luxus, legibus deinceps cenſorum coërcitus.

Thesis VIII.

Præter carnes muſculoſas quadrupedum ſerviunt victui carnes parenchymaticæ, glanduloſæ & linguoſæ. At parenchymaticas referimus.

1*mo* *Jecinora* (Leber) ſucci craſſi, ægre conficiendi, & tarde permeantis. Græci ea ſolebant epiploo involuta menſis inferre; Apicii inventum fuit caricis ſaginare. In animali tenero ac ſucculento vitulorum ac porcorum minus ſunt inſalubria.

2*do* *Lienes* (Milz) ſucci pravi, ingrati, parum alentis & ægre diſtribuendi: Suillum Galenus præfert; ſed præſtat ab omni abſtinere.

3*tio* *Renes*, duros, ſolidos, coctu difficiles, ſucci craſſi, ſaporis ingrati, plerumque viroſi (maxime in hircis): agnorum tamen hædorum, porcellorum & vitulorum inprimis pinguium renes, nec coctionem morantur, nec ſucco vel ſapore offendunt.

4*to.* *Corda*, fibroſa, dura, coctu difficilia, attamen ſi coquuntur, boni alimenti, maxime juniorum animalium.

6*to* *Pulmones*, coctu faciles, at parum alentes; multis agnini & vitulini in deliciis ſunt; nec faſtidiuntur ſuilli conciſi in partes, elixati & aromate conditi. Ad carnes glanduloſas teneras, friabiles, nec inſuaves præter proſtatas, thymus & ſimilia numerantur, præcipue:

1*mo* *Ubera* lacte turgentia, boni & nutrientis ſucci, ſi rite digeruntur: ubera ſuum præferuntur. nec ovium lactantium & juniorum vaccarum laude carent.

2do *Testes*, pravi & virosi succi, quæ gratiam nullam apud elegantiores inveniunt. Alunt tamen bene subacti & imprimis aprorum & porcorum, veluti inter aves gallinaceorum. Denique non omittimus *carnes linguarum*, quæ laxæ, spongiosæ, suaves, facile coquuntur: glutinosum tamen & minus solidum alimentum præbent. Bona inprimis est bubula & suilla, nunc elixa, additis amygdalis & uvis passis, nunc assa, nunc sale vel fumo macerata. Linguam vervecinam Parisienses medicos ægris etiam commendare ex morbo surgentibus testatur Bruyerinus. Tenerior est agnina, at omnes linguæ annosæ rejiciuntur, tanquam coctu difficiles. Paucis verbis annectimus partes alias, duras & molles quadrupedum. Ad illas spectant, tendines, ligamenta, vasa, membranæ, & quæ ex his contexuntur, ut ventriculus & intestina, quæ omnia, nisi in tenellis animalibus, sunt rejicienda, quippe alimenti exigui, lenti; crassi, facile obstruentis, ægre subigendi, hinc otiosis & languidis metuendi. Sunt tamen etiam ex solidissimis partibus, quæ esui serviunt; ut cornua recens nata cervina, mollia, quæ elixantur, in frustula conciduntur, in sartagine friguntur, & principum epulis apponuntur. Et quæ non deliciæ ex rasura cornu cervi parantur?

In

In gelatinas ad partes molles ſpectant :

1*mo Cerebrum*, ſucci craſſi, viſcoſi, tarde permeantis, nauſeam facile excitantis ; & hinc aromate corrigendi. Amantur tamen cerebra gallinarum, caponum, avium.

2*do Spinalis medulla*, durior cerebro ſed pariter nauſeam provocans , nec male nutriens, ſi digeritur, ex Galeni judicio.

3*tio*, *Pinguedo*, difficillime conficienda ; durioribus hominibus & voracioribus in uſum convenit : tonum partium ſolidarum labefactans, facile appetitum evertens, nauſeam pariens, rancefcens facile, hinc calidis, cholericisque fugienda.

THESIS IX

Præter partes ſolidas quadrupedum tria attentionem merentur fluidorum genera ſanguis, medulla oſſium, & lac. *Sanguis*, (ille vitæ theſaurus) ex quo omne corpus alimentum ſuum accipit, divina lege Judæis interdictus, vix ſolitarie editur, at ſæpe in farciminibus & pulmentis piperatis culinæ ſervit. Semper craſſus eſt & coctu difficilis, inprimis bubulus; ſuaviſſimus leporinus Galeno ; caprinus Homero habitus fuit. Nobis porcinus præfertur, & inteſtinis cum adipe & aromate incluſus, apexabones conſtituit.

Medulla oſſium, pinguis, unctuoſa, blanda, dulcis, ſuavisque, tum in cavitate ma-

jorum oſſium, tum cavernulis minorum colligitur. Præſtat præ omni alia pinguedine, quippe quæ longe facilius digeritur; in acrimonia & doloribus ſuaviter demulcet, & alvum ſicciorem lubricat: liberalius tamen ſumta inprimis ſine ſale obtundit appetitum, nauſeam parit; mora etiam & calore ranceſcit, & calidis, bilioſisque ſub crebro uſu minus convenit. Optima eſt boum, vervecum, vitulorum & leporum.

Lac, communis gentium victus, egregie alens, & ex chyloſa ſeroſaque parte vi viſcerum animalium jam ſubacta conſtans, omnis ætatis & ſortis homines ſuaviter ſuſtentans. Pro præſtantiſſimo habetur, ſi ex animali ſano, juniori, leviter moto & ſalubriter paſto, tribus vel quatuor a paſtu horis emulctum, recens exhibetur; ſaporis dulcis, odoris grati, coloris ſplendide candicantis, conſiſtentiæ æqualis & moderatæ, digeſtionis facilis; humectat, mollit, laxat, dolores lenit, corpora reficit tabida, & tot edulia, placentas, pulticulas, liba, ſpiras, aliaque piſtorum opera & panificia inſtruit. At quoniam lac facilem in aëre corruptionem ſubit, flatus gignit, vermes fovet, & in acorem & coagulum tendit; præſtat eo recens emulcto uti, & in jejunio aut principio cœnæ; acidos cibos aut vina non ſociare, & adverſus coagulum ſale & ſaccharo præmunire. Adde, lacte ſumto ab exercitiis

abſtinendum eſſe, nec inter exercitia, dum ſitis urget, avidius hauriendum eſſe. Sane in iis, qui ſecus faciunt, maxime lac nocet: debilibus, hypochondriacis, bilioſis & cardialgicis parit cum ſuffocationis ſenſu, dolores capitis, ſcabiem, inflationes hypochondriorum, dentium ac gingivarum noxas. Unde Hippocrates noxium lac dixit capite dolentibus, acute febrientibus, hypochondrio tumentibus, & poſt magnam ſitim, magnas evacuationes ſanguinis, & bilioſas dejectiones. Ait vero Avicenna, vitioſo lacte nihil nocentius eſſe: imo Caſparus Hoffmannus cenſet, inter tot conditiones boni lactis facile nobis ex uſu lactis damnum naſci.

THESIS X.

Penitius cognoſcuntur virtutes lactis ex triplici parte, qua conſtat, 1*mo ſeroſa*, quæ tenuiſſima: 2*do*, *caſeoſa*, quæ craſſiſſima: 3*tio*, *cremoracea*, quæ pinguiſſima. Varia eſt harum partium miſcela, in variis, quibus utimur lactis ſpeciebus. Notamus vero minus ſemper nocere lac, in quo ſerum abundat, quia ad coagula proclive non eſt, facillime digeritur, promte permeat & diſtribuitur, alvumque ſolvit. Exinde colligitur, utrum vaccinum, an ovinum, an caprinum, an aſininum præſtet. *Vaccinum* eſt omnium craſſiſſimum, pinguiſſimum & ſero maxime deſtitutum, quo ſi coquendo

orbatus magis, bene tunc alvum ſtipat in diarrhœa & dyſenteria ab acribus humoribus nata; nutrit præ reliquis, at ægre coquitur, tarde diſtribuitur, facile coagulatur, & viſcera obſtruit. Proximum craſſitie eſt *ovinum*, caſeoſa parte & pingui abundans, ſeroſa vero carens; hinc nutriens valde, verum ob difficilem caſeoſi coctionem, gravans ventriculum, & lente deſcendens. *Aſininum* ſero abundantiſſimum, at minimi alimenti eſt, ſecedit facillime per alvum, raro vel nunquam coit in ventriculo, inprimis ſi tantillum ſalis miſces. Salutare podagricis & calculoſis, & in abſtergendo viſcerum ulcere maxime Phthiſi convenientiſſimum: ob vim purgantem ſine acrimonia in ipſis febribus ardentibus jam veteres laudarunt, & inter hos Hippocrates. *Caprinum* eſt temperatiſſimum, nec pingue nimis nec craſſum, nec ſeroſum nimis, adeoque conſiſtentia & virtute medium inter lac vaccinum & aſininum, quod recens emulctum non minus tabidis & hecticis, quam arthriticis, aſthmaticis, ſcorbuticis, hypochondriacis & in fluxu inprimis bilioſo ſalutare eſt. Quod Varroni, quin & Ætio, lac de bubulo alvum minus ſolvere dicatur, cum tamen ſero plus abundet, non male Diſcorides pabulo caprarum ſicciori & magis adſtringenti tribuit: unde & lac calidius & ſtomacho utilius. Obſoletioris ſunt uſus lac

equinum & *camelinum*, utrumque ipſo aſinino ſeroſius; illud Scythis olim familiare, & in Phthiſi a veteribus laudatum, hoc Ariſtoteli ſuaviſſimum, & admixta aqua calculoſis ſaluberrimum dicitur. Notamus adhuc generatim.

a) Lac in omni ſpecie dilutius eſſe vere, hieme craſſius, æſtate mediæ conſiſtentiæ.

b) Humano lacti tanquam omnium temperatiſſimo in ſanitatis negotio primas tribuendas eſſe.

c) Omne lac primis a partu diebus coqui tarde, ægre deſcendere, craſſos humores gignere, coloſtrum vocant; hinc pueri coloſtrati audiunt, qui biduo a partu lac maternum guſtant, quod his diebus e mammis evacuari, haud tenellis præberi ſolet, niſi ſcopo excretionem ſtimulandi. Jam de præcipuis partibus ſero, caſeo, butyro ſeorſim.

THESIS XI.

Serum lactis humectat, diluit, attenuat, aperit, ſitim æſtumque compeſcit, bilem corrigit, leni nitroſitate abſtergit, vini noxam eluit, alvum & urinam movet, eximii uſus pro hypochondriacis, melancholicis, maniacis, cholericis, calculoſis, ſcorbuticis, ſcabioſis, febricitantibus, quibus largior quotidie uſus per menſem & ultro ſuadetur. Veteribus non incognitus, qui mixto pauxillo mellis ab una ad quinque

heminas (hemina eſt menſura , uncias 10 continens) per intervalla potandas præſcripſerunt. Secedit vero hoc ſerum a lacte per ignem & acida ; ſi huic (lacti) ferventi injicitur cremor tartari, unde vis major alvum movens ; vel ſuccus citri aut limoniorum, aut oxymel, aut manipulus acetoſæ, unde vis ſiticuloſis, calentibus & pro uſu diuretico opportunior : plus debiliori ventriculo convenit, ſi vino paratur & tantillum cinamomi ac nucis moſchatæ additur. Optimum ſerum eſt ex lacte caprino, quod bene menſe Majo cum pauxillo ſacchari mane bibitur. Copia major plus penetrat ac purgat, minor alterat : ubivis illi eſt vis parum alimentoſa magis medicamentoſa. Ceterum cum ſero convenit.

1) *Lac ſciſſile* veterum, in quo per coctionem ſegregatæ portioni ſeroſæ colatæque mellis aut oxymellis momentum additur, ventris ſubducendi cauſa.

2) *Lac ebutyratum*, quod butyro excuſſo caſeoſam partem adhuc vehit, altero die jam ſecedentem. Refrigerat, abſtergit, in ſiti, æſtu, bile, febribus convenit : nimius uſus laxat & hernioſos interdum reddit.

THESIS XII.

Caſeus, cujus nomen & uſus a Romanis ad Germanos tranſiit, ex craſſiori lactis parte cogitur, omni ſeroſa parte expreſſa, non

ſemper butyracea. Optimus caſeus eſt, non tam recens & mollis, quam mediæ ætatis, odore & ſapore ſuavis, modice ſalitus, modice pinguis, medius inter craſſum & tenuem, inter compactum & rarum, glutinoſum & friabilem, ex optimo lacte pecoris ſani & bonis paſcuis enutriti, vere inprimis & autumno elaboratus, qui moderate ſumtus, languentem ſtomachum exacuit, nec ſitim nimis excitat, nec alvum nec coctionem nimis moratur, quin & ſolidum dat ſanis & robuſtis alimentum, viresque auget, quarum ſtudio veteres Athletæ, antequam carnibus adſueſcerent, caſeo victitabant. Præſtant hodie caſei Hollandi, Parmenſes, Placentini, Limburgici. Antiquus caſeus, verminoſus, acer, ſalſus, ſiccus, durus, pravi ſucci, gravat ventriculum, coctionem moratur, flatus parit, ventrem ad egerendum pigriorem reddit, viſcera obſtruit, ſiticuloſis, ſcabioſis, calculoſis, bilioſis nocet, maxime ſi macilentus ſit & veluti pumicoſus, demta omni pinguedine. Pro varietate lactis caſeos paramus ovillos, vaccinos, caprinos. *Ovillus* ſuavitate omnes ſuperat, facile coquitur, & melioris eſt quamvis parcioris alimenti, viridem inter peſtis prophylactica Diemerbroeckius recenſuit: *Vaccinus*, plus alit, at ægrius digeritur & impeditus permeat: juvant coctionem ſemina & herbæ aromaticæ. Laudat Jonſto-

nus caſeum Polonicum, tanquam ſalubriorem, quia ex cremoracea & caſeoſa parte cum ſinapi conficitur. *Caprinus* caſeus utroque deterior eſt & vilior, facile areſcit, nec niſi recens probatur; ob acrimoniam tamen facilius dejicitur. Olim quoque *equinus* caſeus notus fuit, Hippace dictus, Scythis familiaris, & Hippocrati ipſi laudatus, quod multum alat, alvumque detergat. Notamus adhuc caſeum quoque ex ſero lactis ad ignem cocti paratum, minus ventriculo noxium, ſitim ſedantem, ſomnum conciliantem; at frigidis & nervis laborantibus minus congruum. Ceterum ad caſeoſa lactis præparata pertinent *oxygala* & *coagulum.*

THESIS XIII.

Reſtat lactis pars oleoſa & pinguis, quæ cremoris ſeu floris aut ſpumæ nomine ſponte enatat in ſuperficiem lactis, palato, inprimis æſtate per adſperſum ſaccharum, gratior & innocentior, eam ars multa agitatione a lacte ſecretam, denſatam, ablutam, nomine butyri inſignit; quod barbaris prius quam Græcis Romaniſque, imo his ad ævum uſque Galeni non niſi obſcure, & in medica virtute ſola cognitum. Tranſiit a Scythis ad Germanos, teſte Conringio, ſenſimque oleo in cibis præferri ac liberali conditum ſale in annuos culinæ uſus ſervari cœpit. Demulcet ſua unctuoſitate, partes ex-

aſperatas lenit, acria inviſcat, adeoque ipſis venenis reſiſtit; pectori præterea convenit, alvum laxat, renumque vias pro tranſitu calculi liberat, ſed cum pane ſumtum bene nutrit, at lente digeritur ac permeat. Copioſe ingeſtum nauſeam parit, appetitum dejicit, ventriculi tonum relaxat, in calidioribus acrem rancorem contrahit, bilioſis, aſthmaticis, ſcorbuticis, hyſtericis & ſcabioſis nocet maxime. Præſtat butyrum recens, vere confectum, ſubflavum, & jucundi ſaporis, quod alio tempore paratum, candidum inprimis, non eſt par gratia. Vetuſtum vero palato adverſum, quo tenacius acriuſque, eo plus adhæreſcendo obſtruit, & vaſcula erodit. Bubulum butyrum Galeno, ovillum Dioſcoridi pinguius videtur: hoc certe deterius eſt, & facilius ranceſcit. Plerique autores ultima menſa uſum butyri improbant, prima plus convenire putant.

CLASSIS II.

DE

VICTU VOLATILIUM.

THESIS I.

Secunda animalium claſſis eſt volatilium, quæ victum dant ſicciorem, quia in majo-

ri ſunt motu, victuque & aëre ſicciori puriorique fruuntur: tenerius, ſalubrius & coctu facilius inde redundat nutrimentum, minus tamen ſtabile & copioſum, quam quadrupedum: hinc vero literatis, valetudinariis & vitæ ſedentariæ addictis convenientiſſimum. Requirimus vero in avibus pro majori ſalubritatis momento: 1) *Ætatem mediam*, (vel paulo inferiorem) nam veterum & effœtarum avium caro indomitæ duritiei eſt, & omnem cocturam ſpernit. Recens excluſi pulli, excrementitium mucorem habent.

2) *Loca*, in quibus verſantur, quæ montana campeſtribus, campeſtria paluſtribus & urbanis (& altilibus) merito præferuntur. Omnis ſagina in cavea & otio deterior eſt, motus ſub libero cœlo diſſipat excrementitium & probiores ſuccos generat.

3) *Pabulum*, quo fruuntur. Rejicimus aves carnivoras, laudamus, quæ ſolis frugibus & ſeminibus victitant, (ut turdus, perdix) deteriori loco ſunt, & minus ſuaves, quæ præter victum vegetabilem piſciculis & inſectis inſidiantur, (ut anates, anſeres.)

4) *Tempus* a venere & incubatu liberum; quia tunc marceſcentes palato arrident minus.

5) *Diverſam anni tempeſtatem*: Præſtant enim æſtate, quæ cerealibus victitant (ut

perdices) autumno, quæ uvis, ficubus arborumque baccis vescuntur: & sane, tantum non omnes, autumno meliores sunt, ut hieme aquaticæ omnes (ut anseres & anates) quia cœlo calidiori spirant aliquid virosi. Speciatim lustrabimus aves divisas in cicures seu urbanas, & agrestes seu feras; utrasque in terrestres & aquaticas.

THESIS II.

Ad aves cicures terrestres referimus: A) GENUS GALLINACEUM, ob ova & carnes ægris sanisque commendabiles. Notamus

1*mo* *Pullos gallinaceos*, quibus bimestribus ad summum trimestribus & moderate pinguibus & carnosis non est innocentior cibus, coctuque facilior, quippe otiosis, valetudinariis, puerperis, promtum bonumque alimentum suggerit. Præstat vero ob humiditatem & teneritudinem carnis, assos comedere.

2*do* *Gallinas*, quæ alimentum dant coctu facile, succi boni & multum nutrientis; unde sanguis probus, copia spirituum, vitalis calor, colorque corpori conciliantur. Optimæ sunt annuæ, mense inprimis Februarii & Martii: deteriores annosæ, macræ, glocientes & incubantes, adde albas, ceu minus vivaces & fœcundas. Laudantur e contrario nigræ, juvenes & mediocriter obesæ, & quæ nondum pepererunt, car-

nis quippe levioris & tenerioris , omnique ætati convenientis. Rectius vero aſſandæ, velut vetuſtiorum caro juſtius elixatur. Sunt etiam caſtratæ gallinæ , quarum reliquis præfertur caro , ut candidior , melior , friabilior , & coctu facilior. Inane eſt carnes gallinarum arguere , quod podagram generent , & juſcula , quod alvum ſtipent.

3*tio Gallos*, qui carnem habent ſicciorem, duriorem , palato minus gratam , & coctioni magis rebellem , niſi edantur juniores & ante veneris uſum. Juſcula vero etiam vetuſtiorum gallorum ſalſuginei ſaporis , virtute medica aperiunt , flatus diſſipant , alvum inſigniter ſolvunt , & in febribus , tremore artuum , inflationibus aliiſque morbis impenſe laudantur.

4*to*, *Capos* , ſeu gallos caſtratos (ſemimas) quorum caro ſapidior , ſuavior , mollior , tenerior , pinguior , coctu facilior, optime inter aves valenterque alit , & copiam laudabilis ſanguinis generat : unde ex contuſis capis juſcula , emaciatos , hecticos, ſiccos & longo morbo conſumtos reficiunt ; & inani metu podagricis arthriticisque negantur.

B) Genus columbarum , in quo notamus :

1*mo Pullos columbinos* ſeu pipiones , carnis humidioris , delicatioris , tenerioris, coctuque facilioris , nec tamen tenelli nimis

ſint & pluma nondum tecti, ſed qui in prima lanugine volare incipiunt.

2*do Columbas*, quæ in villis & turriculis præferuntur urbanis, vernæ autumnalibus, juniores vetuſtis. Spreta Arabum ſententia, qui columbas fere ex ſalubri victu expungunt, & febres accendere, ſuccum melancholicum, imo lepram parere ſtatuunt, eas potius cum Græcis carnem habere cenſemus gallinis & perdicibus proximam, coctu facilem, boni ſaporis & alimenti, iis maxime congruentem, qui parum ſanguinis caloriſque ac virium habent. In peſte laudat Cardanus; in elephantiaſi Aretæus; in ſpaſmis Serenus Sammonicus; alii in torpore veneris.

3*tio Columbos*, carnis ſiccioris, durioris, coctu difficilioris & obſtruentis, inprimis ſi ætas accedit, videntur aliquatenus dictam Arabum cenſuram mereri.

C) Genus pavonum, qui ſolennes Romanorum epulas, Hortenſio præeunte, ornabant: At raro hodie noſtras menſas ſubeunt. Caro enim formæ externæ parum reſpondet, gallinis, columbiniſque durior, fibroſior, coctu difficilior, & pejoris ſucci, nec niſi exercitatiſſimis ſuadenda. Incorrupta & citra fœtorem diutiſſime perdurat. Mitior juniorum eſt ſecundum Avicennam, at etiam prior illa multum tenereſcit, ſi triduo æſtate, quatriduo hieme jugulatos pa-

vones ſuſpendis appenſo lapide, & aromatibus conditos artocreis includis.

D) Gallos indicos, ſeu calecutenſes, (welſcher Hahn) quos ex India (ſeu novo orbe) alii ex Numidia primum veniſſe volunt: horum pulli duorum aut trium menſium tenerrimi, ſaporis ſuaviſſimi, digeſtionis promtiſſimæ, multique & boni alimenti ſunt. Galli hiſque humidiores gallinæ, ſi juniores ſint, vel mediæ ætatis & aliquot diebus ante cœnam in aëre ſuſpendantur, carnem dant pariter ſapidam, teneram coctu facilem, largumque & durabile alimentum, vires refocillans, omni ætati & ſexui congruens, nec ſapore nec ſucci probitate ipſis capis cedens. Veterum gallorum durior caro ægre ſubigitur.

Thesis III.

Inter cicures aves & aquaticas numeramus:

1*mo Anſeres*, quorum caro humida admodum Hippocrati; excrementitia Galeno, cunctis avibus domeſticis craſſior Simoni Sedi, coctu perdifficilis Paulo (Aeginetæ) dicitur. At ſane a valentiori ventriculo ſubacta, multum dat firmumque alimentum, junior inprimis bono pabulo ſuſtentata, aliquot diebus in aëre ſuſpenſa, & hieme, ubi minus ægrotant anſeres, ad cibum parata. Pullos anſerinos, lautum quibuſdam epulum,

ob mucoſam carnem inſalubriores judicamus: longe minus probamus anſeres anno vetuſtiores, ad quos utpote ſicciores, duriores, & coctu difficiliores, & improbi obſtruentisque ſucci reſtringenda eſt plerorumque autorum cenſura, quod anſeres febrem, epilepſiam, arthritidem, cardialgiam ſenilem vel pariant, vel exacerbare & aggravare ſoleant. Saliti anſeres & fumo indurati, coctioni rebelles, alvum ſtipantes, vaſa oppilantes, non niſi robuſtiorum menſis ingerantur. Adeps ſapidior, teneriorque adipe gallinarum; calidior & penetrantior porcorum habetur. At longe plus ipſis carnibus commendantur alæ, collum, jecur, ventriculus, & tanquam melioris nutrimenti ac digeſtionis, piperatis incoquuntur juſculis.

2*do Anates*, quarum caro, cum durior ſit, quam anſerum, debilemque ventriculum gravet & tarde deſcendat; minime liquet, quo conſilio Cato ægrotanti familiæ has inprimis carnes obtulerit. Hippocrates humidam & excrementitiam vocat carnem anatum. Certe ſi annoſæ ſunt & culinarum purgamentis nutritæ merito inſuaves & inſalubres habentur: ob ſucci pravitatem & remoram coctionis maxime debilioribus, colicis & hypochondriacis nocent. Anates juniores in aprico ad aquas paſtæ, biduo ante uſum enectæ, & in hiemalem cibum pa-

ratæ, & aſſatæ reprehendi non poſſunt, & bonum ac durabile alimentum robuſtis promittunt. Pulli anatum immerito præferuntur, in quibus excrementitii plus eſt. Inter partes anatum pectus & cervicem unice commendat Martialis; plurimis alæ & jecur probantur.

THESIS I.

Carnes avium ferarum & terreſtrium magnam plerumque & gratiam ſaporis & alimenti habent ſalubritatem. Hic occurrunt:

1*mo Palumbes*, carnis columbina ſiccioris, durioris, coctu difficilioris, quæ alvum ſtipat, & venerem compeſcere creditur. Ceterum alimoniam durabilem ſatis & corpori ſalutarem præſtat, & modo junior ſit, inter noſtri & priſci ævi delicias locum meruit. Gulæ luxus aſſas amat & aromate lardoque confixas. Species palumbis, *turtur montoſus*, ſiccitatem habet modicam, hinc coctionem faciliorem, & alimentum ſalubrius. Sub ſagina delicium fuit veteribus, & antequam cibo ſervit, unum certe diem in aëre ſuſpendere, Galenus ſuadet.

2*do Perdix*, cujus caro præſertim junior, & aliquamdiu in aëre ſuſpenſa, eſt ſapidiſſima, perquam tenera ac friabilis, probumque ac laudabilem generat ſanguinem, otioſis inprimis & imbecillis ſeu morbo reſurgentibus, multum boni promtique alimenti

ſugge-

ſuggerit. Præſtat caro pectoris & alarum, ſucci bonitate & coctionis facilitate. Autumna pinguis magis & ſaginata capitur, aſſa lardo & aromate condita cum ſucco acidiuſculo, qui putredinem arcet, merito commendatur. Pulli, qui jam provolare incipiunt, regum ſunt epulæ; at caro vetuſta & macra, tam facile non coquitur.

3tio Attagen (Haſelhuhn) ipſa perdice melior & carior, cujus caro ſapidiſſima, candida, tenera, friabilis, coctu facilis, & liberaliter alens, in quam cum aliis Julius Alexandrinus omnem probi alimenti laudem congeſſit. Prodeſt paralyticis, epilepticis, & arthriticis, caloremque corpori & boni ſanguinis ſpirituumque copiam conciliat; ſed non ſit domi nutrita. Coqui & aſſari ſolet, transfixo lardo, caryophyllis & cinamomo, vel elixari ſuperfuſo liquamine ex vino, ſaccharo, aromatibus & paſſulis.

4to Phaſianus, (Phaſan) ditiorum menſis vindicandus, fuit ſobriis principibus ſemper deliciarum faſtigium. Averrhoes omni alitum generi anteponit, & veteris ævi luxus ita diſtinxit ut nollet eum in privato convivio comedere imperator Pertinax; nec Severus niſi celebrioribus feſtis ſibi apponere permitteret. Carnem Galenus facilitate coctionis & ſucci bonitate gallinarum carni ſimilem, ſapore ſuaviorem dicit. Siccior eſt gallinarum carne, ob motum majorem

in libero & ſicco aëre, magis etiam tenera ac delicata eſt, ſuccique defœcati, potenter alens, vires reficiens, tabidiſque, extenuatis & convaleſcentibus ſaluberrima imprimis ſi junior ſit & in aëre aliquamdiu ſuſpenſa. Veteres ferventis aquæ vapore coquebant, ad majorem gylæ voluptatem. Pulli ſapidiſſimi & tenerrimi rectius aſſantur.

5*to Vrogallus*, (Auerhahn) vix phaſianis ſalubritate cedens, & opiparis menſis inferri ſolitus; ſaporis grati, digeſtionis facilis, & alimenti durabilis, quod excrementis careat, nec pinguedine abundet. Triplicem carnem in pectore tribuunt, ubi triplex muſculus circa os pectoris coit, varii ſaporis; primam duriorem bubuli; alteram perdicis; tertiam phaſiani, imo & duplicem colorem, candidum & ſubfuſcum.

6*to Gallinago* ſeu ruſticola, ſeu perdix ruſtica (Schnepf) quæ ſylveſtris major (Grasſchnepf) præferenda; minor & paluſtris ſeu aquatica (Waſſerſchnepf) non æque, caro plus rubet, & ſucci magis excrementitii eſt, nec facilis digeſtionis. Aſſandæ carni panis toſtus ſubjicitur, ut excrementis & defluente pinguedine imbuatur, quod Sebitius ſtultitiam gulæ appellat.

7*mo Otis* ſeu tarda (Trapp) avis magna, gravis, in campis agriſque degens. Carnem Galenus inter gruum & anſerum carnes me-

diam vocat, his duriorem illis molliorem. Ita laudarunt Xenophon Villanovanus & alii, quod de juniore otide temporis mora plus tenerescente largimur. Hujus tamen caro, velut a robustis digesta, valenter alit, ita ab imbecillis non nisi parce & timide gustanda est.

8*vo Coturnix*, cujus caro autumno & hieme succulentior, & assata inprimis sapida est, nec insalubris, præsertim pullorum. At Petro Aponensi omnium volatilium carnibus pejor dicitur; cui favere videtur Plinii sententia, coturnices veneno pinguescere; & epilepsia corripi: Nec diffidet Galeni testimonium, helleboro vesci & inde tensiones & spasmos comedentibus gigni, seque ipsum Athenis vidisse ex largiori usu illis correptos: cui simile Ridlinus notat. Inde Rhases, Avicenna & plerique autores malunt coturnices ex ciborum numero abolere. Certe ob inanem illum de helleboro metum jam Romanorum mensis interdicebantur. Sunt contra qui cum Averrhoe has carnes teneræ substantiæ & boni succi esse, & sanis æque quam ex morbo resurgentibus concedi debere statuunt. Cum quibus veluti vim hellebori, quo ne victitant quidem nostri coturnices, & epilepticos, quibus corripi solent, spasmos merito negligimus: ita ex altera parte haud diffitemur, carnem duriusculam & fibrosam, simulque ex sagi-

na præpinguem largius ſumtam gravare ventriculum & coctionem turbare, & viſcoſos humores in debilioribus gignere, unde frequentes morborum recidivas ex eſu illarum natas Julius Alexandrinus teſtatur.

9no Turdus, cui primas inter aves Martialis tribuit, & quo negat Horatius, quicquam melius dari, forſan ob majus eo ævo ſaginæ artificium. Tempore vindemiæ uvis & baccis ſaginati merito appetuntur. Caro eſt grati ſaporis, facilis digeſtionis, probi alimenti; hinc a Mathiolo ipſis quartanariis commendata. Galeni judicio duriorem turdorum carnem eſſe quam gallinarum, perdicum & phaſianorum. Repugnare videtur Celſus, qui minores aves, tam firmi nutrimenti non eſſe; quam grandiores, ipſius exemplo illuſtrat.

10*mo Alauda*, turdo minor, quæ junior & autumno hiemeque pinguior, omnium menſis expeti ſolet, ſapida quippe, delicata, bene nutriens, probum ſanguinem gignens & coctu facilis: adultiores, vel etiam æſtate, vel ingraveſcente hieme macilentiores, nec palato arrident, nec facile digeruntur, quales forte ſunt, quas calculoſis nocere in ſe ipſo deprehendit, Hoferus, vel vertiginem, arthritidem contracturas, & varia mala nervorum parere Ridlinus notat.

11*mo Merula*, (Amſel) quæ ſuavitate ſaporis, & coctionis facilitate cedit turdo, ſed

plerumque cum hoc ſimul capitur, ob ſocietatem in victu & cantu, Romani etiam ſimul ut capere ſic ſaginare ſolebant. Junior merula & pinguis prope ad turdum accedit: caro eſt paulo ſiccior & fibroſa, minus nutriens, coctionem non nihil retardans & alvum ſtipans. Galenus tamen inter laudabiles cibos refert, quos ait nec tenuem nec craſſum ſanguinem gignere.

12*mo* *Ficedula*, quæ ſuavior autumno, & ficuum & uvarum eſu pingueſcens. Sola avis eſt ex veterum Ganeonum judicio tota comedenda: delicatiſſimum eſt & ſapidiſſimum edulium: in frigidioribus regionibus raro obvium; promte digeritur, bene & multum nutrit, & imbecillioribus præſertim convenit. Præpollentem pinguedinem piper & aromata coercent.

THESIS V.

Dictis lautioribus avium ferarum carnibus breviter alias addimus in minori pretio habendas, ab aliis quoque rejectas:

Grues, (Kranich) licet amatas olim & ſaginatas & a Celſo, quod multi ſint & validi nutrimenti, laudatas: ut duras fibroſasque & craſſioris ſucci hodie negligimus.

Ciconiam, coctu difficilem & pravi alimenti, fruſtra Auguſti ævum extulit; hinc merito jam Plinii tempore eviluit.

Struthiones, (Strauß) regum Perſarum epulis adhibiti, & ab ipſo olim Apitio ſoleter in cibum præparati: carnem pariter habent duram & excrementitiam.

Sturnos (Staar) licet Galenus inter ſalubres cibos referat & proximum iis ab Attagene locum deſignet; laudare non ſuſtinemus, niſi tenellos, tempore vindemiæ pinguiores, & tunc ob uvarum ingluviem minus viroſos. Nolumus niſi obiter addere minores aviculas, ut paſſeres, fringillas (Fink) empericas, (Emmerling) luſcinias (quæ plus voce placent quam carne) cardueles (Distelfink, Stieglitz) vanellos, (Kibiz) galbulas (Goldammer) &c. rubeculas (Rothkehl) linarias, (Hänfling) paros, (Meisen) modacillas, (Bachstelz) miliarias.

Thesis VI.

Circa aves feras aquaticas tum palmipedes, quæ aquis innatant, tum fiſſipedes, quæ circa loca paluſtria hærent victumque quærunt, generatim notamus; algam plerumque limum & piſces olere. Ad priores referimus:

1mo *Anſeres ſylveſtres*, qui præſertim juniores præ domeſticis carnem habent ſalubrem, coctu faciliorem & excrementis minus ſcatentem.

2do *Anates feras*, quarum caro non adeo

coctu facilis, nec valde ſalubris eſt, ſaporis autem ſæpe piſcoſi.

3*tio Fulicas*, (Rohrente, Waſſerhuhn) quæ anatibus minores, conveniunt forma. Ad tollendum gravem odorem, quem ſpirant, in olla prius aperta elixantur, deinde aſſatæ conditæque, ſaporis ſunt non ingrati, digeſtionis non difficilis, alimenti haud improbi.

4*to Mergos*, (Tauchente) pede, roſtro, victu, locoque anatibus ſimiles, quorum caro tenerior, pinguior inprimis hieme, piſces tamen redolet.

5*to Cygnos* ſeu olores, (Schwäne) ſpecioſiſſimas avium aquaticarum, menſis quoque veterum, teſte Athenæo, adhibitos, ſaginatoſque, referente Plutarcho. Sane & pulli lautiores etiam epulas inſtruunt, ita per ætatem dureſcens caro, rubra, nigra & coctioni admodum reluctans, merito faſtiditur. Vix pretii eſt addere *onocrotalum*, (Kropfgans) vix ferendi odoris, *urinatricem* coctu difficillimam, *larum* (Rothgans) tetræ & impuræ carnis, quibus nemo liberalius educatus veſcitur. Ad aves feras fiſſipedes referimus quoque *ardeas*, (Reiher) quarum caro dura quidem eſt & fibroſa, at gruum carne ſapidior & tenerior, modo præparando macerandoque piſculentus ſapor tollatur, quod & de gallinaginibus aquaticis valet.

Thesis VII.

Inter reliquas partes avium edules occurrunt:

1*mo Cerebra*, quæ mole exigua at ſicciora, ſunt præſtantiora quam quadrupedum. Abeſt enim unctuoſa illa humiditas, quæ nauſeam parit, & ſtomachum ſubvertit. Gallinarum hodie & caponum præferuntur, quibus tamen minime cedunt montanarum avium ut perdicum & phaſianorum cerebra.

2*do Criſtæ* & *barbæ* maxime gallinaceorum inter cupedias veterum, teſte Plinio, poſitæ, obtuſi ſaporis ſunt, & ob duritiem & ſiccitatem multum boni ſanguinis vix generant: paulo mollior & tenerior eſt barba præ criſta.

3*tio Colla* & *cervices* in majoribus avibus iisque elixis, majores & plus carneæ; in minutis iiſque aſſis duriores & fere oſſeæ.

Certe difficilior in his coctio quam in carnibus, ſuccus deterior, alimentum parcius.

4*to Alæ*, quæ in avibus carnoſis & junioribus ſuaves ſatis ac teneræ, in annoſis graciles, duræ, fibroſæ. Anſerum alas coctu faciles, & ad nutriendum accommodas Galenus laudat, at primas dat alis gallinarum; harum quoque & anſerum elixarum pedes comeduntur, at minus coquuntur & alunt, ſuccique ſunt lentioris.

5to *Ventriculus* & *inteſtina*, non ſunt tenues & membranacei ut in quadrupedibus, ſed carnoſi, nec injucundi ſaporis, nec pravi alimenti præſertim in gallinis & anſeribus. Inteſtina vero ad eſum fere nunquam admittuntur, niſi forte ruſticolarum, in quibus cum excrementis ab Apitiis appetuntur.

6to *Hepata*, boni ſaporis, & laudabilis alimenti in avibus, maxime caricis, ſaginatis, ex judicio Galeni: hepar gallinarum, ut ſuave & probi ſucci Avicenna laudat; ſuaviſſimum eſt anſerum, bene & potenter alens, nec coctioni reſiſtens, ingens eorum magnitudo eſt ſub ſagina, inprimis ſi pabula lacte imbuuntur.

7mo *Teſtes*, in gallinaceis altilibus Galeno laudati ut boni ſucci & nutrimenti ac facile ſubigendi, alvum quoque nec moventis nec ſtipantis.

8vo *Vropygium*, (extremum ſacri oſſis der Sterz) quod in altilibus & pinguibus avibus maxime gallinis, capis, anſeribus gulæ arridet, alimenti tamen adeo laudabilis non eſt.

Thesis VIII.

Reſtant ex victu volatilium ova, quibus præcipua vis ineſt alendi; Vitellus valentioris eſt nutrimenti, albumen tenuioris, ſi tepens ſine vi ignis æquali aquæ & lactis

portione diluitur. De vitello dubitat nemo; at hæſitant circa albumen, cujus tamen elaboratiſſimo ſucco ſolo, ſub leni calore incubatus, intra breve tempus enutritur pullus, ut nullum par ſit nutrimentum in omni reliqua ætate. Unde & potum Hippocratis ex tribus vel quatuor ovorum albuminibus in aquæ congio conquaſſatis egregia vi alendi, refrigerandi, alvum lubricandi, in febribus ipſis ardentibus commendari legimus. At hoc ipſum albumen, quod omni fere dote ſua cum ſero ſanguinis convenit vi ignis coagulatum, privatur jam illa vi alente. Vitellus fortior albumine cibus eſt, in laudabilem tamen ſanguinem ſine magno coctionis molimine tranſit; ſed quia genium refert ſaponis adoleſcentis, bilioſis & febre affectis haud convenit, (quia calorem auget). Unde miramur Ariſtoteli & ipſi Galeno frigidæ naturæ vitellum videri.

Thesis XI.

Ova ipſa haud parem in tanto diſcrimine laudem inveniunt: columbarum ova, ut præcalida & ſaporis pravi rejiciunt plerique cum Aldrovando. Anſerum, anatum, & ſtruthiocamelorum ova a paucis appetuntur, neque enim ſunt tam facilis coctionis & bonæ alimoniæ & grati ſaporis: neque magiſtri coquinæ merito pavonum ova apud Athe-

næum primo loco posuerunt, coctu quippe difficiliora, insalubria, imo ex judicio Matthioli pessima: perdicum ova inter cibos subtilis alimenti & excrementis fere vacui ac roborantis, præeunte Avicenna, multi laudant: his præferuntur phasianorum ova punctis distincta, quæ ob raritatem uberi proventu gallinarum ova nobis farciunt; quibus tantum non reliqua omnia salubritate nutrimenti & gratia cedunt, & unde infinita ciborum genera, & coquis non modo sed pistoribus ac cupedinariis mira operum varietas nasci solet. De his ovis maxime valet, quidquid autores de ovis referunt; & illud inprimis Plinii, nullum cibum esse, qui in ægritudine æque alat nec oneret, simulque vim potus & cibi habeat. Optima sunt, & cito, bene ac copiose nutriunt quæ a sanis gallinis & bene pastis, nec pinguibus nimis nec macilentis ponuntur; recentia maxime mollia & tremula, quæ ad corpus alendum omnium accommodatissima Galenus censet, siquidem facillime coquuntur, celerrime distribuuntur, & laudabilem sanguinem pariunt. A tremulis gradu tantum differunt sorbilia, quippe in his albumen nondum coiit, in illis tremulum est coagulum instar lactis cocti: ergo sorbilia alunt quidem paulo minus, at egregie fauces asperas levigant, tussim sedant, vocem juvant, semen augent,

alvum ſubducunt, in ſputo ſanguinis renum & veſicæ ulceribus proſunt: Utraque infantibus, ſenibus, ſedentariis, hæmorrhagia, phthiſi, vel alio morbo conſumtis pulchre conveniunt, vires refocillant, & longo intervallo præferri merentur ovis coctione induratis, vel in cineribus aſſatis, vel in ſartagine frixis, quæ ægre digeruntur, lente permeant & craſſi ſunt alimenti. Peſſima ova ſunt vetera ex parte inania, incubata, pullascentia, pravi odoris ſaporisque. Minoris momenti res eſt, præferre albiſſima pallidioribus, oblonga rotundioribus, poſt coitum edita ſubventaneis. Paluſtrium avium ova plus quam terreſtrium de vitello habent.

CLASSIS III.

DE VICTU PISCIUM.

THESIS I.

Tertia animalium claſſis eſt piſcium, quibus magna etiam gratia eſt, nec multum inferior ſalubritas. Hos ita in deliciis habebant Rhodii, teſte Æliano, ut liberales vocarent, qui piſcibus, agreſtes, qui aliis cibis uterentur. Unde obſonii nomen, quod

omni cibo cum pane edendo commune erat, per excellentiam ad pisces, Plutarcho referente, transiit, ut idem esset obsonio quam piscibus vesci, utrisque vero gulosorum nomen esset. Romanorum luxus longius progressus, maxime sub Lucullo, quem Pompejus ideo Xerxem togatum vocat. Hinc Cato dixit, stare urbem amplius non posse, ubi piscis majoris pretii esset quam bos. In qua re religiosiores erant Syri inprimis & Lydii, & pro sanctimoniæ parte habebant a piscibus velut re sacra & nimis lauta abstinere. Nota est divisio piscinarum in dulces, quæ vetustæ erant & plebejæ, & maritimas, quæ nobiliores & ob ingentes sumtus amaræ dicebantur.

THESIS II.

Piscium, quos morbis minus obnoxios, & a peste, quæ armenta ac volucrum greges invadit, immunes Aristoteles judicavit, salubritas neglecta ab Arabibus, & a Rhasi inprimis impugnata, tutelam diu ante reperit in monumentis Hippocratis, maxime Galeni aliorumque veteris medicinæ procerum; eamque confirmat multarum gentium, quæ solis piscibus victitarunt, constans valetudo. Objiciunt adversarii corruptibilitatem piscium, moram in ventriculo, coctionis difficultatem, sitimque quam excitare edentibus solent. Addit Julius Alexandrinus pis-

ces victum medicamentoſum eſſe; igitur a frequenti ſanorum uſu removendum. Nos corruptibilitatem in recens captis præparatisque non metuimus, at facile coqui, hinc promte deſcendere, & minus quam reliquas carnes gravare, ex ipſa hac cibi mutabilitate cognoſcimus: ſitim ex additis ſalibus vel aromatibus, aut etiam ex vitio ventriculi oriri, facile largimur: At medicamentoſam virtutem piſcium ullo ſenſu percipi poſſe negamus, Hoc ſequitur ex dictis; piſces haud dare durabile alimentum, quod Athletas, foſſores & robuſtiores ſuſtentet; at eo plus convenire debilibus, otioſis, literatis & ex morbo convaleſcentibus, quibus teſte Hippocrate, leve alimentum, judice Galeno, optimum ſanguinem (i. e. medium inter craſſum & tenuem) ſuppeditent: Unde tum Galenus tum præſertim Trallianus ægrotantibus piſces ſæpe indulgent: & ſecundum Plutarchum mos olim fuit Zenonis, ægros non nihil ad ſe redeuntes primum refovere piſcium cibo; neque vero negamus nimium uſum pituita & muco opplere; hinc pituitoſis, flatulentis, hypochondriacis non æque convenire.

Thesis III.

Speciatim judicium de ſalubritate piſcium nititur 1*mo Diſcrimine ſpecierum.* Piſces enim lacuſtres pejores, fluviatiles meliores, ma-

rini optimi ſunt: *Lacuſtres* quia limoſis & inertibus aquis victitant, & minus moventur, excrementitia viſciditate graves, magis corruptibiles, ſitim excitantes, & inſalubres habentur, æſtate inprimis ubi ſtagna ſicciora & fœtentiora; velut e contrario lacus ingentes & fluminibus irrigui minus noxæ conciliant. *Fluviatiles* Hippocrati ut graves, Xenocrati ut craſſi ſucci & ſtomacho noxii fere cum lacuſtribus conjunguntur. At ob continuum aquæ renovatæ affluxum, alimoniam, & exercitationem meliorem ſtatuimus quidem, piſces in turbidis rivis, quo ſordes influunt, hanc cenſuræ ſocietatem mereri; at boni ſucci eſſe, qui in puris limpidisque fluminibus verſantur, maxime anatromi a Tralliano laudantur, qui ex mari flumina ſubeunt. *Marini* omnibus præſtant, quia ſalſedo maris corrigit illud humidum & pituitoſum, quod in reliquis piſcibus excedit, ut proinde veteres in ſanitatis tutela & lautitiis menſarum ſolos marinos elegerint. Inter marinos præſtant *Saxatiles*, latentes inter ſaxoſa maris loca & parientes, ob mollitiem carnis & friabilitatem, facilitatem coctionis & boni ſanguinis geneſim. *Pelagii* in fundo maris latitantes, ob ſolis penuriam & carnis duritiem difficilioris quidem coctionis ſunt, at magis alunt. Propius ad ſaxatiles accedunt *littorales*, ſolidioris quidem carnis, at civca arenoſa &

aſpera littora, puro ſatis & a ſole illuſtrato loco habitantes. Generatim notamus, optimos marinos eſſe, judice Galeno, qui in mari puro non quieto ſed ventis agitato maxime boreali verſantur. Adde ſquamoſos piſces, quippe ſicciores præſtare non ſquamoſis, quippe glutinoſioribus & corruptibilioribus.

2*do Diſcrimine ætatis*, ob quam ſeniores, ſi barbum cum Auſonio excipis, (tibi contigit uni &c.) ſunt duriores & deteriores; contra juniores ſunt meliores & coctu faciliores.

3*tio Diſcrimine magnitudinis*, Celſus laudat illos, qui nondum ſummam magnitudinem attigerunt, magis etiam limitant Salernitani, qui magnitudinem in mollibus, parvitatem in duris piſcibus laudant.

4*to Diſcrimine tempeſtatum anni.* Ita Xenocrates vere mullos, æſtate phagros, autumno mugiles & lupos laudat. Ita vileſcunt gammari extra tempus, quo ovis implentur.

5*to Diſcrimine partium*, ſupernas præter caput partes ſicciores, leviſſimas ſub ventre cenſent. Laudantur partes ad caudam, quippe motu plus exercitas, & melioris nutrimenti (uti Galenus, Xenocrates & alii cenſent: Thynnum excipit Plinius. Pingues partes gula appetit, medicina damnat, quia facilius putredine corripiuntur.

6*to*

6to Discrimine præparationis, assare humidiores, elixare duriores convenit. Assos edere ex aceto, elixos ex muria, monente Hippocrate. Frixos non nisi firmiter sanis concedit Galenus. Modus condiendi caseo visciditatem auget, coquendi in lacte promovet corruptionem: pisces siccati & indurati coctu difficiles, & plerumque insuaves, phlegmaticis tamen vere & hieme concedi possunt.

7mo Ratione usus, calidi edantur (frigidus piscis est nequam) & ante alios cibos, & nunquam post magnos labores. Plus panis & potum vini adde victui piscium, quippe putredini plus obnoxii, & hic quidem Crato furfuraceum panem prætulit. Nuces aliqui suadent, post pisces sumere, alii ficus, hoc ob vim abstergendi salubre, illud noxium ob vim inviscandi. Generalis piscium salubrium nota est, mollities & friabilitas. Si altera desit parce edere, si neutra abstinere Galenus suadet. Ceterum semper nimius usus piscium secundum Diphylum comicum pituitosos facit & muco abundantes.

THESIS IV.

Pisces veterum tum Romanorum tum inprimis Græcorum in hoc luxus genere peritiorum sunt:

1*mo* *Lupi* (Hechte) teneri, ſuaves & ſalubres, boni nec nimii alimenti, Græci mileſios, Romani tiberinos, Martialis etiam in lacu veneto lupos extollunt. Optimi ſunt lanati ob candorem & mollitiem carnis, & hodie in venetorum macellis laudantur: viliores ſunt quos varios vocant (quia cloacas ſubeunt). Celſus inter cibos boni ſucci refert. Galenus tenerem ſanguinem gignere docet. Præſtant minores & inprimis aſſi & in his hepar cum ſucco aurantiorum.

2*do* *Murænæ* (Mural) maxime ſiculæ, quæ Argeſtrato edulium admirandum dicebantur. Veteres cicurabant & in vivariis alebant. Carnis ſunt mediæ inter duram & mollem; hinc ſuccum dant nec craſſum nec tenuem. Præſtant murænæ gravidæ ex ſententia Horatii; & in maximo pretio fuerunt murænarum lactes.

3*tio* *Mugiles*, (Meerfiſche) quos Artedius ſpeciem cyprini gracilis vocat, diu olim in menſarum honore fuerunt, at ſenſim eviluerunt. Argeſtratus hieme laudat & caput potiſſimum: Xenocrates pelagios mobiles, acres, & ori gratos appellat, fluviatiles rejicit, ſic Aetius; hodie in Belgio eduntur.

4*to* *Acipenſeres*, in tanto olim pretio, ut Jovis cerebrum dicerentur, & cum tibiis & coronis in triclinium inferrentur. Magna jam bello Punico ſecundo illorum erat gratia; eviluit ſub Veſpaſianis, rediit ſub

Severo (egregius piſcis). Junioris caro candida, delicata, facilis coctu, & bene alens. Ignotus hodie piſcis eſt, ſturionem eſſe cenſet Aldrovandus, repugnante Voſſio (Stör.)

5to Scari, (piſcis marinus) Græci & Siculi littoris non Itali incola, neque olim neque hodie niſi quod ævo Claudii, ubi principatum inter piſces tenuit, navibus advectus, aliquamdiu mare Italum incoluerit. Caro pinguis non eſt, neque hinc multum ſapida, attamen mollis, tenera, ſalubris & friabilis, quæ facile coquitur & diſtribuitur. Galenus inter ipſos piſces ſaxatiles præfert Scaros, maxime jecinora laudata ornabant, patinam Vitellii.

6to Mulli, Romanis in ſummo honore habiti, (Meerbarben) tanquam cœnarum pompa & caput; nunquam tanta aliorum piſcium pretia memorant, ut maxime apparet in illo certamine Apitii & Octavii tempore Tiberii. Neque vero majores mulli, licet tanti pretii, faciles coctu fuerunt & palato ſuaves: caro tamen duriſſima & valde friabilis, teſte Galeno, ſcilicet lentoris & pinguedinis expers. Maxime appetierunt ob hepar & caput, vel etiam ob barbam ex judicio Heliogabali. Nutrit certe præ reliquis piſcibus, rite confecta hæc caro. Ariſtoteles mullum in autumno, Xenocrates vere laudat, ubi ova parit. Inanes querelæ ſunt

Dioſcoridis, quod viſum lædat, Plinii, quod nervis noceat, Crataroli, quod venerem extinguat. Hodie in mari Tyrrheno & Romano capitur.

7mo Turdi, (Meerdroſſel, Seepfau) nobiles Plinii ævo inter piſces ſaxatiles, carnis mollis, teneræ, friabilis, coctu facilis, ſucci boni & ægris ipſis ſalutaris. Laudant Trallianus, Diocles & Diphylus turdi mollitiem excrementi expertem.

8vo Merulæ, (Schleye) carnis etiam teneræ & boni ſucci, licet parum alentis. Coquuntur facile & deſcendnnt; a Tralliano epilepticis commendantur.

9no Spari, cujus multæ ſpecies ſunt, ut aurata, quam Hikeſius piſcem omnium ſuaviſſimum vocat; Xenocrates tribuit carnem candidam, ſolidam, boni ſucci, probæ alimoniæ & facilis diſtributionis. Celſus quoque carnem duriuſculam laudat, quæ in ſtomacho non vitiatur. Non tangimus hic piſces alios a Græcis maxime ad inſaniam expetitos, ut caprum, glaucum, (Meerſtichling) congrum (Meeral) carnis quidem non ingratæ, at duræ, coctu difficilis & parum alentis.

THESIS V.

Inter marinos hodie apud nos eminent: *1mo Aſellus*, qui varias ſub ſe ſpecies comprehendit, nunc duriores, nunc molliores,

nunc majores nunc minores, nunc recentes, nunc ſiccatos ſalitosque. Notamus imprimis aſellos maximos, quos olim cum Plinio bacchos dixere; minores, quos callarios vocant, hodie (Scheelfiſch) & minores varios & ſtriatos (Doſch), cutis lævioris, ſine ſquamis, teneræ carnis, delicatæ, dulcis & friabilis. Sunt omnes piſces pelagii, quorum carnem, etſi minus friabilem ac ſaxatilium vocat Galenus, tamen inter cibos bonæ coctionis & alimoniæ refert, ac minime glutinoſos, imprimis ſi in puro mari degunt. Majores aſelli in Scotia maxime & Norwegia capti, nunc ſaliuntur nomine Laperdan, nunc in aëre & ad rupes ſiccati, nomine piſcis fuſtuarii (Stockfiſch) diſtribuuntur, carnis duræ & coctu difficilioris.

2do Scomber (**Makrel**) ſquamis carens, in Oceano major, quam reliquis maribus; ſiccior duriorque, at Venetiis potiſſimum mollis, pinguis & delicatus, qui tamen ſuccum dat craſſum viſcidioremque; hinc maxime juvenibus & validioribus convenit. Recens magnam habet ſaporis gratiam: præſtat tamen ſalire & ſiccare, quod etiam ſcombris cognatis piſcibus thunnis, trachuris & glaucis contingit. Ex horum inteſtinis ſale maceratis, veterum celebre garum natum eſt, ut præter unguenta nullus alius liquor in ſimili pretio eſſet. Seneca vocat pretioſam malorum piſcium ſaniem: Plinius opti-

mum garum ex ſcombro eſſe. Miſcebant aquam, oleum, acetum, vinum mutato inde nomine.

3tio Piſces plani, qui ſi ſpinas habent paſſerini vocantur; ſuntque plateſſa (Schollen) rhombus & ſolea: ſi pro ſpinis cartilagines habent, ſunt torpedo, raja & paſtinaca. Ex priori claſſe *plateſſa* ſeu paſſer (Scholl) tum lævis tum ſquamoſus, abunde nutrit & ſuaviter. Galenus carnem ponit inter duras & molles mediam. Marinorum caro gratior eſt, quam eorum, qui oſtia fluminum ingrediuntur. Rhombus (Bütt) paſſere latior, carnem habet candidam, ſucculentam, ſuavem ſalubremque: aculeatus, qui mollioris jucundioriſque carnis eſt vocatur Steinbütt; Aſper & cineritius Sandbütt; ille qui aureas maculas habet Goldbütt. *Solea*, vel bugloſſa, ob formam pedis ſeu linguæ bovinæ ſic dicta (Dung) præſtantior & paſſere & rhombo ac delicatior habetur; Rigenſis etiam pinguior (ex inſula Riga). Galenus poſt aſellos & ſaxatiles commendat, & paſſeribus molliores ſapidioreſque & melioris nutrimenti vocat. Aldrovandus duriuſculam carnem quidem tribuit, ſed hinc durabiliorem: per moram certe tenerior gratiorque cœpit perdix marina vocari. Ex altera parte, ubi loco ſpinarum cartilagines ſunt, occurrunt *torpedo*, (Schlaf- oder Krampffiſch) quæ carnem habet mollem, at inſuavem & excre-

mentitiam, plebi relinquendam. Deinde *Raja*, (Rochen) cui dura & ſicca caro eſt, ſi tamen digeritur, quod ægerrime fit, ſatis nutrit. Denique *paſtinaca*, (Stachelrochen) carnem habet mollem, craſſam, glutinoſam, ferini aliquid ſpirantem, inſuavem ac mali ſucci.

4*to Clupea*, vulgo harengus ſeu halec, (Hering) qui recens eſt delicatus, mollis, ſapidus, coctu facilis, carnis albæ, friabilis, ſucci boni, nec glutinoſi; recens elixatur, & cum raphano & aceto editur, etiam in craticula aſſatur, vel in ſartagine cum butyro frigitur; ſolatium pauperum. Optimi ſunt Flandrici, qui a Batavis in mari Anglico ad littora ducatus Eboracenſis, circa diem feſtum Johannis capiuntur, & tunc non licet ante diem decimum a ſalitura vendere. In mari mediterraneo nulli harengi inveniuntur. Illi, qui in Norwegia circa Bergam (Drontheim) capiuntur & ſaliuntur, majores quidem ſunt, ſed duri, ſtrigoſi, & exſucci magis. Sane recens ſaliti, appetitum egregie acuunt, pituitam detergunt, & Tulpius ſcribit, ſub eorum acceſſum, ſterilem reddi Medicorum meſſem: eſt etiam harengus Bothnicus Sueciæ, qui ſalitus non accedit ad dictos. Annuos & flaveſcentes, in quibus caro diſſolvitur, & pinguedo ranceſcit, fugere oportet: ſitim creant, mordaces humores gignunt, & in ſcabie, ulce-

ribusque lædunt ; niſi aqua ſolerter macerati miteſcant. Infumandi modum Wilhelm Benckel Flandrus reperit : optimi *infumati* veniunt ex Anglia, & ex locis circa Enckhuyſam (Strandbückſinge). Eliguntur grandiores ultima hieme capti & ante ſalituram xeenterati, ac fumo lento ex lignis bonis indurati : ſicciores, deteriores, durioreſque recentibus & muriatis, & coctu difficiles, parum alunt nec bene, & craſſos & acres humores gignunt. Similiter ſarda in Anglia ubertim capta & infumata venditur, nomine Bretling. Genus puſillum harengorum eſt engraulis ſeu encraſſichalus (Sardellen) ſaliuntur truncato capite & ablato felle, ſolique exponuntur, donec caro diſſolvitur. Excitant languentem appetitum, pituitam attenuant, alvum & venerem ſtimulant. Sarda ab inſula Sardiniæ unde primo venerunt & nomen dedit ; apud nos duplex ſpecies eſt. (Sardellen und Anſchog, anchoge.)

Thesis VI.

Inter piſces marinos ſimul & fluviatiles numeramus : 1*mo Sturionem* (Stör) inter lentiores piſces maximum & ſapidiſſimum, plerique cum Rondeletio acipenſerem veterum vocant ; alii Silurum Plinii ; verius eſt Hicca Atthænei, vel Suillus Iſodori, caro candida & delicata, craſſa tamen duriuſcula & præpinguis, ægre coquitur & lentos hu-

mores suppeditat, nec debilibus & valetudinariis convenit. Junior tamen & qui fluviis mollescit, carnem habet sapidam in ore fere liquescentem, facile digerendam & copiose alentem. Laudatur captus in fervore solstitii, nec tamen statim a captura coctus. Præstat mas, vel etiam femina ovis plena. Victui servit tum recens tum sale conditus.

2*do Eperlanum* seu Spirinchum (Stint) in ostiis fluminum in Oceanum influentium frequentem & circa autumnum capi solitum. Carnis mollis & friabilis, nidoris tamen pisculenti ferini.

3*tio Lampetram* (Lamprete) anguillæ similem, si caput excipis, quæ vel marina vel fluviatilis est, illa exsucca magis & arida habetur; hæc (fluv.) pingui teneritudine se commendat. Caro mollis, dulcis, glutinosa, dat lentos & viscosos humores, morbis nervorum non convenientes. Major in Alpinis lacubus reperitur: minor fluviatilis Salviano Brücke vulgo Neunaugen vocatur, quia novem fissuras habet in utroque latere ordine oculorum dispositos, per quos suctam aquam remittit. Capitur in limpidorum fluminum littoribus. Moris est torrere, in craticula assare, coquere, incrustare, sale & aceto condire, & leviter salitos fumo indurare, nam conditura corrigit glutinosum. Ballonius mustelam Ausonii

cenſet, plerique muræenas fluviatiles Oppiani appelant.

4to Anguillam (Aal) Romanis contemtam, Græcis tantopere appetitam, ut divinam alii appellarent; alii reginam voluptatis; alii Helenam cœnarum, quidam etiam cum Hikeſio ſucci bonitate omnes piſces ſuperare crederent. Caro dulcis eſt, grata, pinguis, glutinoſa, quæ lentore ſuo ſtipat, mora coctionis gravat ventriculum, facili corruptione choleras & febres excitat, noxia inprimis otioſis & viſcido laborantibus. Plerique Medici diſſuadent ejus uſum in cephalalgia, arthritide & epilepſia: Hippocrates in tabidis & hecticis damnat, ob metum Peripneumoniæ: imo Galenus nunquam boni ſucci anguillam ait. Non tamen damnamus illas, quæ in limpidis aquis reperiuntur, inprimis qui ſecundo amne in mare devehuntur, & aqua ſalſuginoſa glutinoſum illud corrigunt, quamvis lacuſtribus minores ſint & macilentiores (tamen meliores). Illa caro (nempe anguillarum) ſatis boni ſucci eſt, & bene digeritur, imprimis ſi multo ſale coquitur, & ſecundum Salernitanos vinum ſuperbititur.

6to Salmonem (Lachs) ſapidiſſimum ævi noſtri edulium; Græcis olim incognitum. Marinus ſolius Oceani incola eſt; fluviatilis eo præſtat, in dulci aqua miteſcens, & maxime ad Viſurgim, Albim & Rhenum

captus: ob teneritudinem & suavitatem carnis, quæ dulcis & friabilis, succum dat bene nutrientem & minime excrementitium, ob pinguedinem tamen paulo ægrius coquitur, nec imbecillis prodest, in quibus crassiorem succum generat: sale & fumo Servatus multum suavitatis amittit: recens tamen salitus valde a gulosis (ganconibus) amatur. *Salmorini*, seu fœtus salmonum, pisciculi sunt sapidissimi, delicatissimi sine viscositate, coctu faciles, & laudabilem succum ipsis ægris præbentes.

6to Perca, (Barsch) quam amni & mari communem Plinius vocat: Ausonius mensarum delicias appellat. Marinam salubriorem veteres extulerunt: posteriores fluviatilem maxime rhenanum cum Xenocrate: marina certe salubritate insignis, cedit tamen suavitate fluviatili, & elixa fere difluit: fluviatilis carnem habet jucundam, duriusculam, friabilem, succi laudabilis; hinc utilem cibum præbet ægris, imbecillis, puerperis, at robustis non est durabile satis alimentum. Galenus & præcipui Medicorum laudatissimis saxatilium percas adnumerant: hinc si Rondeletio caro duriuscula, glutinosa & coctu difficilior habetur, id nequit nisi de grandioribus, senioribus & palustribus intelligi. Est etiam *Lucio-perca*, seu nagamulus Germanorum Sander carnis albæ, gratæ, mollis, parum glutinosæ & bene nutrientis.

Thesis VII.

Ad pifces fluviatiles & lacuftres pertinent præcipuo loco:

1*mo Lucius* (Hecht) qui, quod aquis dulcibus folis victitet, Latio olim neglectus, ab Aufonio pro ignobili pifce habitus; & a Jovio inter cibos plebejos rejectus: caufa fecundum Aldrovandum eft, quod lucii Italorum infipidiores & viliores fint. Caro ejus in puris rapidifque fluminibus capti, maxime apud Gallos, Batavos, Germanos eft faporis gratioris, minus glutinofa, duriufcula, friabilis, excrementis vacua, coctu facilis, boni fucci & copiofi alimenti; ejufdem in ftagnis paludibus & pifcinis capti, caro glutinofa, limofa, pejoris fucci eft, nec annofa inprimis majorum, quippe durior, palato ingratior & coctu difficilior laudari poteft. At eo majorem laudem merentur novelli, teneri, perquam delicati & ægris etiam concedendi.

2*do Cyprinus nobilis*, feu carpio (Karpfe) a veteribus pariter neglectus, at a feptentrionalibus in jufto honore habetur. Caro pinguis, dulcis, mollis, humida & aliquantulum glutinofa, non adeo magnam falubritatem promittit; bene tamen digefta multum alit: feniles, flavi & in ftagnis victitantes, obftruunt, pinguedine fua gravant, pituitam augent, frigidis, arthriticis, nephriti-

cis nocent. In reliquis præstant mas femina, majusculus parvo, fluviatilis lacustri, capti inprimis vere usque ad finem autumni. Marinum dari asserit Plinius, negat Sebizius. Quia præ reliquis piscibus carpio sanguine abundat, exenteratos probe aqua eluere convenit, quin & ob limosum mucorem elixare vino & condire aromate. In deliciis habentur intestina cum hepate & maxime lingua, quam palatum carnosum Aristoteles rectius dixit.

3*tio Cyprinus brevis*, seu charax communis, vel Carassius (Karausch) cujus caro mollis, tenera, sapidior (quam cyprini) & coctu non difficilis nec mali succi. Mas femella, major minori potior est.

4*to Prasmus* seu *brama*, seu cyprinus latus, (Prasse, Schneiderkarpfe) qui olentem saporem in stagnis contrahens, nec facilis coctionis, nec boni succi est.

5*to Barbus*, (Barbe) qui minor barbulus vocatur. Grandior melior est & sapidior, & solus e piscibus, qui crescente ætate non fit deterior. Elige fluviatilem rejectis ovis. Caro barbi nostri est alba, mollis, non insuavis, multis spinulis firmata, laxa, spongiosa, viscosa, nec coctu difficilis, nec mali succi. Ganeones labra appetunt.

6*to Tinca* (Schleye) veteribus vel ignota vel rejecta, & hinc Ausonio vulgi sola-

tium appellata. Fluviatilis aliquam laudem meretur, & veluti limoſa vada petit, & ſtagnis plerumque ſuſtentatur: ita carnem habet limoſam, mollem, excrementitiam, lentore ſuo obſtruentem, malæ coctionis, ſaporis viſcoſi, ſucci craſſi, improbe alentis, & per æſtatem nocentioris. (Solent magis aſſare quam elixare). Aldrovandus tamen laudat fluviatiles Italiæ.

7mo *Thymallus*, (Aſch) ab odore Thymi, quem ſpirat: piſcis delicatus, guſtu ſuavis, coctu facilis, carnis candidæ, ſolidiuſculæ, friabilis ſine tenacitate, nutrimenti boni. Cum motu aſſiduo agitetur in aquis puris, frigidis, limpidis, nulli fluviatilium eſt ſecundus, nec ægris ob ſalubritatem negandus.

8vo *Trutta*, ſeu Forio (Forelle) carnis bonitate & gratia nec delicatiſſimis veterum piſcibus cedens. Duplex ejus ſpecies eſt, ignobilior altera maculas nigricantes habens, carnem albam, mollem, lentam, inſipidam: magis nobilior altera, quæ guttas rubentes in cute ſiſtit, carnem rutilam, firmam, ſapidam & friabilem habet, bene & ſalubriter alentem. Æſtate ſuavior caro eſt, hieme albeſcit & ſapor vileſcit. Juniores præſtant ſenibus: lacuſtres majores ſæpe ſunt & pinguiores. (Salmonata vocatur, quia ad molem & colorem ſalmonis accedit.)

9*no* *Barbocha*, ſeu muſtela fluviatilis, (Quabbe oder Aalraupe) ex familia anguillarum, cujus caro alba, dulcis, mollis, glutinoſa; hepar ſuaviſſimum. Lacuſtris fluviatili inſalubrior eſt, inſuavior & in ventriculo corruptibilior.

10*mo* *Naſo* ſeu *naſus*, ob labrum ſuperius ſimum & obtuſum ſic dictus: carnis mollis, laxæ, glutinoſæ, inſipidæ, ſpinis refertæ, ſique corrumpitur in ventriculo, facile febres gignentis.

Præſtat aſſata quam elixa; & optima eſt, quæ in fluminibus maxime in Rheno capitur.

Dictis ſubjicimus piſces minores nec ſapore inſuaves, nec inſalubres, inter hos ſunt:

1) *Cobitis* ſeu glabra barbatula (Schmerl) & fluviatilis muſtelarum minima, cujus caro delicata, ſolidiuſcula facilis digeſtionis boni ſucci, ægrotiſque ſalubris. Præſtant vernæ & majores. Eſt etiam *cobitis ſecunda aculeata*, (Steinbeiſſer) ignobilior præcedente, quippe carnis tenacioris & minus ſapidæ. (Ballonius delicatum, Geſnerus vilem piſciculum vocat, vere tamen meliorem.)

2) *Gobius* ſeu *gobio* (Gründling) qui fluviatilis non capitatus dicitur fundulus; eſt etiam capitatus, qui cottus appellatur. Caro utraque mollis & glutinoſa, illa inſipidior, hæc ſuavior, utraque coctu facilis & melior

ſi ovis turget; neutra ob mucaginem valde ſalubris.

3) *Phoxinus levis* ſeu varius piſciculus, (Ellritz) carnis teneræ, ſuaviter amaricantis, & boni ſucci.

4) *Perca minor* (Kaulbars oder Stur) ſeu cernua fluviatilis, carnis ſuavis, delicatæ ac ſalubris.

5) *Leuciſcus*, (Weißfiſch) ſub quo varias ſpecies comprehendimus, piſciculi plerumque viles, qui ditiorum menſas haud onerant; *albulæ* ſeu alburni ſunt carnis mollis, albæ non tam ingratæ nec inſalubris. *Rubeculi* ſeu rubelliones (Rothauge) carnem pinguem habent, mollem, ſpinoſam.

Thesis VIII.

Reſtant piſces exſangues, diviſi in molles & cruſtatos; (ἄναιμος & ἔναιμος) mollibus mollities quidem & ad externum tactum, ſed intus durities: hinc etiamſi leves videantur teſte Hippocrate, gravant & ægre per alvum ſecedunt. Pertinet huc:

1*mo*, *Sepia*, (Blakfiſch, Meerſpinne) Græcis in uſu, imo deliciis, nec Romanis incognita; licet Diphylus carnem laudet tanquam teneram, coctu facilem, ori gratam, mollientem alvum. Potior tamen eſt Galeni ſententia, qui ſepiam coctu difficilem, parum ait in ſe continere ſalſi ſucci, mul-

tum

tum gignere crudi humoris; bene tamen digestam satis nutrire, hinc cum condimentis & vino veteri assumere suadet Simon Sethi. Elixa assæ, gravida non gravidæ præferenda est: major sale conditur. (Ab hac os sepiæ Fischbein.)

2do Lolligo, (Blackfisch) Athenis olim contemta, & pauperibus relicta, hodie delicium in calidioribus regionibus: caro enim mollior, quam sepiæ, inprimis laudatur, quæ gravida est & parva, quippe quæ citius coctionem admittit: coquitur in aqua & vino addito pipere sale & aromate: major & senior insuavis est coctuque difficilis.

3tio Polypus, carnis durioris, nec mollescentis, ut Jul. Alexandrinus ait, nisi diu fustibus contundatur. Cocta tamen caro multum nutrit, & teste Diphylo venerem excitat, alioquin difficillimæ digestionis.

Pisces crustati, vel fragili crusta, vel duriori testa gaudent. Ad priores pertinent:

1mo Squilla, (Krabbe) lautus priscorum cibus, saporis dulcis & jucundi, multi & boni nutrimenti. Apicii olim delicium, coctu tamen difficilior imbecillioribus nocet.

2do Locusta, salsi humoris particeps, & cum aqua dulci cocta cohibens alvum, ut judicat Simon Sethi, ægre coctilis; at multum nutriens. Archigenes apud Galenum & Celsum laudat stomachicis, quia in stomacho

non vitietur. Trallianus in humoribus ſalſis & bilioſis: Hippocrates pro commodiori lochiorum fluxu laudat: non, niſi viva coquatur in fervente aqua. Præſtat gravida & præ elixis aſſa. Dorion apud Athenæum tria laudat in locuſta: exercitationem, bonum edulium & ſpeculationem, quod & gratum ſit edere, & manu diloricare, & oculo varietatem partium ſpeculari.

3tio *Aſtacus*, (Krebs) qui fluviatilis dicitur Gammarus, & carnem habet ſuavem, duriuſculam tamen & coctu non nihil difficilem, quæ facta tamen coctione liberaliter alit, & humores producit non facile diſſipabiles, viſcidioreſque: hinc in acrimonia humorum, phthiſi & tabe conſumente laudant. Optimi ſunt menſe Martii & Aprilis, tum maxime ubi ovis gravidi reperiuntur, & magnis lapillis ſub capite ad ventriculum natis.

Aſtaci marini ægrius coquuntur, tardius deſcendunt, ventrem cohibent, craſſiorem ſuccum gignunt. Elixari debent & calidis condimentis corrigi, & tunc in robuſto ventriculo ſubacti abunde alunt.

4to *Cancer marinus & fluviatilis*, quorum corpora nec rotunda nec caudata ſunt. Majores dicuntur Majæ, minores Pajuri. Caro dura eſt, ſed firmi alimenti, iis æque ac reliquis cruſtatis non eſt tantum ſalſuginei humoris quam teſtaceis.

THESIS IX.

Inter pisces testaceos (exsangues) referuntur :

1) *Ostrea*, (Austern) quæ non cibos sed oblectamenta Seneca vocat. Appetebant vehementer Romani inprimis Lucrina; deinde Britanica, sed maxime Cyzicena, quippe majora Lucrinis, dulciora Britannicis: sed & nostro ævo, ubi post Britannica Holsatica laudantur, minus Batava & alia: caro mollis est viscosa, humida, parum alens, lentos humores gignens : cruda & recens ob salsuginem succi, stomachum reficit, fastidio medetur, alvum subducit, venerem ciet. Frixa, elixa aut assa cum butyro & sale ac aromate condita, obstruit magis & gravat. Phthisicis tamen prodesse creditur.

2) *Mytuli*, (Muscheln) plebejum olim & hodie edulium, coctionis difficilis, crassum parans humorem; ubi tamen digeritur, bene nutriens, sua etiam salsugine alvum & urinam movens. Elixi comeduntur cum aromatico jusculo: meliores sunt, qui locis algosis, quam qui in arenosis, & inter testas figulinas proveniunt, vel circa hiemem rubri & amari inveniuntur. Omittimus cognatas species, ut *echinos*, quos Galenus ait, imbecilli alimenti esse : Trallianus stomacho conducere & urinam movere; *balanos*, quos in Ægypto ut teneri, dulces,

jucundi ſaporis, alimenti uberis, urinam & alvum moventis Athenæus ſcribit; *lepadas* ſeu *patellas*, quæ duræ, coctu difficiles, at elixæ ſuaviores, leviores & meliores ſunt; *ſpondylos* difficilis coctionis, ſed firmi alimenti, *conchas venerias*, olim quoque in honore & pretio; *chamas*, quæ multum alunt & ſuccum bonum præbent elixæ, ſed aſſæ indureſcunt, Plinius ad caninos refert; *urticas* & *ſtellas marinas*, quæ hieme carnis rigidiuſculæ ſunt cibo aptæ, æſtate marcent: Xenocrates ori gratas dicit, aſſas elixis meliores; purpureæ lautiorum epulas inſtruentes, quas in debili ventriculo Athenæus laudat, quia vix corrumpitur. Neque ſubjicimus piſcibus amphibia illa, qualia ſunt teſtudo, caſtor, lutra, rana &c. in quibus nec delicii multum nec ſalubritatis eſt. Sed reſtat maxime in delectu ciborum magis cognoſcere, quæ proſint.

THESIS X.

Ex his omnibus coctu faciliora & difficiliora per canones ſequentes illuſtrentur:

1*mum* Facilius digeritur quicquid eſt animalium vel vegetabilium cito creſcentium, quippe vim æſtus ſolaris brevius expertorum. Ita munera veris ut aſparagi & fraga coquuntur facilius præ donis autumni ut pomis, pyris, prunis, ficubus: ita etiam

inter animalia caro gallinarum, cuniculorum, leporum facilius coquitur quam boum.

2*do* Utrinque pinguia & oleoſa ægrius digeruntur, quam ſicciora & fibroſa; nam olea poſt ſalia reliquis arctius cohærent, & vim coctionis magis eludunt, ſua quoque mollitie fibras magis relaxant.

3*tio* Quicquid ex utrisque candidius prodit, facilius digeritur, quam quod rubri & obſcuri ſeu fuſci coloris eſt; quia minus ſale urinoſo abundat.

4*to* Caro animalium gramine & frugibus paſtorum præſtat præ illa carne, quæ eſt ex animalibus, quæ vel ſolis carnibus fruuntur, vel certe utrisque (ſcil. cum vegetabilibus.)

5*to* Animalia in paſcuis ſaginata, facilius digeruntur, quia carnem habent promtius digerendam, quam in ſagina ſtabuli.

6*to* Lac & ova & quicquid ſuſtentat animalia, facilius digeritur quam caro inde nata.

7*mo* Quicquid exigui & blandi ſaporis eſt, melius digeritur & alit, quam quod acris, mordacis & aromatici ſaporis eſt.

8*vo* Caro animalium in aqua, vel aqua & terra ſimul viventium, ei non par eſt, quæ in ſola ſicca terra alitur. Addamus:

Thesis XI.

Chylus reſpondet gelatinis excoctis vegetabilium & animalium ; nempe ex his coctis, quo tenacior gelatina obtinetur, eo tenacior chylus naſcitur in homine. Si juſcula carnium exhalant, reſiduum ſpiſſum, ſiccatumque, quoties iterum diluere moliris affuſa aqua, ſenties ægrius dilui, quod ex bovilla quam quod ex vitulina carne inſpiſſatum eſt. Debiles ita diſcant, quid ſibi magis minuſque conveniat.

Thesis XII.

Juſtam menſuram cibi bene alentis & perſpirantis certam nobis reddit idem ab illo ſumto agilitatis, imo major refectionis ſenſus; gravamen in ventre nullum; juſta fecum alvinarum conſiſtentia, & corpus a ſomno non turbulento ad idem pondus ſine moleſtia rediens.

Thesis XIII.

Longævitati favet cibus ſimplex, blandus, tenax, macilentus & tarde in corruptionem tranſiens : vita non fortior inde fit ſed longior, ob humores minus mutationi obnoxios.

Thesis XIV.

Condimenta pro gratia ſaporis & coctionis adjumento conveniunt parce data debiliori-

bus, non facile robuſtis; acres & immutabiles partes per humores & tenera vaſa ſpargunt, emaciant, corpusque, quod ſtimulato appetitu nimis repletur, gravant.

THESIS XV.

Cibi exigui nutrimenti humectant alvum, cito digeruntur, perſpirationem de die & nocte augent: his (cibis) cito vires imbecillæ reficiuntur, fortes cadunt. Cibi multi nutrimenti, niſi corrumpantur, ſtringunt alvum, ægre digeruntur, parum perſpirant: his (cibis) vires fortiores conſtantius ſuſtentantur, imbecillæ (vires) opprimuntur, vel corruptorum vomitu & alvinis excrementis levantur.

THESIS XVI.

Vacuo non minus ventriculo parce perſpiramus, quam eo multum oppleto. Vacuum redarguit flatus, plenum & coctioni imparem prodit creſcens pondus; ibi perſpirationem tardat inopia chyli, hic corruptela cibi. Dimidio plus perſpirant corpora bene paſta, & bene digerentia præſertim poſt liberaliorem tenuioris alimenti uſum.

THESIS XVII.

De victu ſimplici & vario non difficile judicium eſt: ſimplex & in omni ſcena idem, ſatiat cito & hebetat appetitum; varium

delectat, facilius digeritur & prodeſt: varium ex vario cibo nutrimentum: id quod tamen non probat, magnam in una ſcena ciborum varietatem (ſuadendam eſſe) quam tria mala comitantur; ſcilicet plus edere, quam ſatis eſt: minus coquere; ſegnius perſpirare: copia ſuperat auxilium coctionis. Accedit, quod mixta valentioribus infirma, nunc præcipitent coctionem, nunc retardent: Porro quod inſolita ægre digerantur. Lætior tamen in amicorum conſeſſu animus appetit magis & tolerat copiam vigentibus coctionis auxiliis; & mœſtus, ſolitarius & perturbatus nec minimum exceſſum fert ob conſumta coctionis auxilia.

Thesis XVIII.

Feſſus exercitio corporis, haud ſtatim ad edendum accedat, quia poſt tenuiora motu diſſipata digerit & perſpirat minus. Certe ſic craſſior chylus linteſcenti ſanguini inducitur, & tunc etiam robuſti a ſomno frigus & laſſitudinem ſentient. Redeunte demum poſt viginti circiter horas vi coctionis & perſpirationis.

Thesis XIX.

Tempus cibandi fames præſcribit, tanquam optimum peractæ coctionis ſignum: ſi tunc nimis differs edere, corruptio internorum humorum metuenda eſt, maxime

biliosis, gracilibus, epilepticis. Vitæ domesticæ & cultioris ævi consuetudo bis suadet edere de die, & sic omnino satis intercedit ad digerendum intervalli, etiam pro debilioribus. Si prandium est lautum, cœna sit parcior, & contra; ibi humidior, hic siccior victus convenit. Plurimi pro lautiori cœna pugnant, quoniam tunc animus post peracta negotia serenior, intervallum coctionis longius, internus corporis calor per somnum æquabilius digerens. Illi tamen qui insomniis magis sunt obnoxii, ut vertiginosi, catarrhosi, arthritici, podagrici, epileptici, & quotquot sunt capitis imbecillioris, merito prandent liberalius, cœnant parcius: robusti interponere mane jentaculum, & post meridiem merendam veterum exemplo possunt: languidiores ab his non modo abstineant, sed & ad cruditates digerendas diem subinde jejunii interponant.

THESIS XX.

In modo cibandi præstat mollia ac tenera, ne mora corrumpantur, solidiusculis & durioribus præmittere; unde sunt, qui fructus horæos imo butyrum in fine prandii damnant. Juscula calida, quæ primis mensis more solito inferuntur, siccioribus & inprimis calculosis conveniunt, non æque humidioribus & illa fastidientibus. Pinguia

nunquam ſine copioſo pane ſumantur, nec niſi a robuſtioribus, quia male digeſta & rancefcentia flatus tormina, choleram & ſimilia pariunt, inprimis æſtuantibus & bilioſis. Ceterum bona ubivis maſticatio prodeſt, a qua & ſapor & digeſtio & nutritio melior multum pendet. Adde cum deſiderio ſumta etiam deteriora digeri facilius, judice Hippocrate, quam cum tædio ingeſta, quamvis in ſe meliora. Copia in cibo grato & coctu facili aliquem exceſſum admittit. Æſtate parcior cibus ſit, potus liberalior, motus moderatior: hieme parcior ſit potus, liberalior victus, motus fortior; ibi (æſtate) cibus humidus, mollis, elixus; hic (hieme) ſiccus, aſſus maxime convenit; vere & autumno judicamus ex flatu hiemi vel æſtati propriori; & ſemper inter inſigniores mutationes ſobrie victitandum eſt.

Thesis XXI.

Cibus inſalubris fit conſuetudine ſalubris, & fere neceſſarius: contra ſalubris victus vel nunquam vel raro in uſum vocatus, magnum ſalubritatis ſuæ momentum perdit. Illi qui primum Indias petierunt, diu ferre cibos illarum regionum non potuerint: ita nec Americani noſtra frumenta. Aſſuetis vero nec ipſa Toxica nocuerunt, ut Mithridati, quale Theophraſtus Ereſius de quibusdam recenſet, manipulo hellebori impu-

ne usis. Habent sane plerumque diversæ gentes diversas epularum delicias : Angli carnes appetunt; Batavi butyrum & caseum; Helveti lac; Itali olera; Galli fructus arboreos; Hispani raphanos; Poloni & Russi allium & cepas : nihil in assuetis arguendum est. Notandus vero ille verissimus canon : omnem malam consuetudinem inveteratam in senibus aliisque debilioribus esse ferendam; quia magnæ mutationis ferendæ capaces non sunt; imo nec in junioribus & robustis nisi provide & per gradus corrigendam (malam consuetudinem.)

CAPITIS II.

MEMBRUM II.

DE POTU.

Thesis I.

Potus non minor est quam cibi ad tuendam valetudinem utilitas, diluit, solvit, miscet, distribuit, coctionem juvat, fluxilitatem humorum conservat, acrimoniam & motum temperat, secretiones expedit, & vehiculum est tum eliminandis partibus detritis, tum nutritiis in earum locum advehendis. Frequentissimi hominum potus sunt aqua, cerevisia & vinum.

SECTIO I.

DE AQUA.

Thesis II.

Aqua eſt potus omnium ſimpliciſſimus, uſu & tempore omni alia potione prior, & licet vili vel nullo pretio ematur, Platone judice, res pretioſiſſima. Hodie tenuioris non modo fortunæ hominibus, ſed & aliis multis de valetudine ſua ſollicitis in uſu & honore eſt; eique longævitatem cum Menzelio, viſus aciem cum Lockio, fœcunditatem cum Tiraquello, facilitatem digeſtionis, immunitatemque a conſuetis morbis ut podagra, convulſione, colica biliosa &c. tribuunt.

Thesis III.

Conſideramus aquam tanquam fluidum ſimpliciſſimum, quo hinc cum Phœnicibus olim & Ægyptiis Thales principium omnium rerum ſtatuit, tanquam nobiliſſimum, ob exilitatem partium, ob quas ſine lentore fluit, nec niſi igni & aëri cedit, imo ſubinde penetrat, ubi aëri ingreſſus non eſt (e. g. coria). Gravitas aquæ ad aërem eſt ut, ad 830, in eodem caloris gradu. Illa vero fluxilitas ab igne eſt, quo igne ad

gradum thermometri 32 decreſcente fit ſpecies vitri duri, fragilis, pellucidi: impatiens omnis compreſſionis eſt; virtutes vero habet ſolventes ſalia & gummata inprimis, & vim ſolidorum relaxandi. Quis mortalium, inquit Plinius, omnes potentias aquæ enumeret? Nos maxime conſideramus tanquam fluidum leniſſimum, quod inter anodyna & paregorica primum locum obtinet, & Hippocrati placidiſſimum acerrimorum dolorum fomentum audit. Mirabile eſt, latere ſæpe aquam in copia ubi nulla ſuſpicio eſt, ut in aridiſſimo polline ſaxorum laterumque: imo ubi pura apparet, nunquam ſine igne & aëre eſſe, imo & alias partes ferre, ægre interdum ſeparandas.

THESIS IV.

Magnopere inter ſe differunt aquæ; ratione ſalubritatis in uſu, conſideramus:

1*mo* *Aquam pluviam*, ſeu ingens lixivium partium volatilium, quas aër complectitur. Impurior eſt, quæ cœlo cadit nebuloſo, ventoſo, æſtuante, in loca humilia, a multis habitata, etiam purior, vaſe clauſo ſervata, mox contrahit nubeculas ſenſim opaciores cum feculento ſedimento & odoris, coloris saporisque corruptione. Unica ad ignem ebullitio vel acidi pauxillum inſperſio, præcipitatis fecibus ſalutarem uſum reſtituit.

2do Nivalem, nix ſereno & ſicco cœlo in loca pura, & ab hominum habitationibus remota per vices cadens & in ſupremo ſtrato collecta, dat aquam puriſſimam, quæ tamen ipſa digeſta putret, ſpiritumque fragrantem exhibet. Juvat depurare illam aquam unica & leviſſima deſtillatione in vaſe puro & altiſſimo, tunc purior aqua reperiri vix poteſt. Pejor longe glacialis aqua ſoluta eſt.

3tio Fontanam, ex pluvia natam, ad montium latera decurrentem per rivulos ſub terra collectam, & eo hinc altius ſcaturientem, quo major eſt optimæ collectionis altitudo: hinc fontes non ſunt, niſi in locis montibus vicinis, copioſiſſimi in vallibus, circa montana loca prorumpunt. Ergo fontana per ſe purior non eſt quam pluvia, at per loca ſilicoſa decurrens, & his colata, peregrinas partes, ſibi adhærentes, deponit; ſubinde vero venarum, quas tranſit vitrioli, martis, aluminis, ſalium imprægnata dotibus, ſalit nomine aquarum mineralium medicarum. His aquis ſuperinducti putei arcent quidem loci injurias, at hoc incommodi habent, quod ſolis radiis minus penetrentur, aër gravior & incluſus incumbat, ipſa aqua ſaliens, niſi perpetuo auferatur, ſtagnando corruptior fit.

4to Fluviatilem, ad montes pariter natam & concurſu defluentium rivulorum auc-

tam mox rapidiori alveo decurrentem verſus maria, quæ ſemper ſunt depreſſiora loca, admittit undique impura multa, & hinc cedit aquis cœleſtibus & fontanis; & in doliis recluſa pro uſu navigantium, cito fœtorem & corruptelam contrahit; curſu tamen exercita fit paulo purior, & hinc præſtat illa aqua ex magnis & rapidis fluminibus ſumta ſub bono cœli & terræ ſitu.

5to Lacuſtrem vel paludoſam, quæ vel levi vel nullo motu gaudens, corruptiſſimarum partium miſcela eſt, hinc reliquis aquis limoſior, ponderoſior, inſectis & omnis generis inquinamentis repletior, æſtate olens, hieme turbida, hinc merito ab omni humano uſu tanquam inſaluberrima rejicienda, quippe oppilans (i. e. obſtruens) viſcera, corrumpens humores, & varia mala inducens. Lacuſtris, in quibus adhuc motus aliquis, præſtat tamen ceteris illis paludoſis.

6to Marinam, quæ ob ſalem, qui pars ejus quadrageſima eſt, ſitim auget, nec niſi pituitoſis convenit: fit dulcis ope deſtillationis & præcipitationis inter varia recentiorum temporum inventa.

Thesis V.

Aqua intenſius frigida corpori æſtuanti multum nocet, coagula parit & inflammationes. Singultum inde natum Timæus;

hecticam Lentilius, phthisin Wedelius, Dispnœam, hydropem, lipothymiam alii autores recensent. Sed falsum hoc est de aqua modice frigida in corpus temperate calens ingesta, quæ roborat viscera, & a multis scopo præservandi omni mane citra noxam sumitur. Quod si aliquando noxa est ex potu nimis frigido, dissipare eam statim convenit motu, calore & sudore, aliisque excretionibus.

THESIS VI.

Aqua calida in thermopoliis (Wirthshäuser) veterum frequentis usus, subit & solvit promtius, flatus ructusque dissipat, expectorationem promovet, alvumque ducit, acre eluit, convulsiones sedat; hinc Infusa Theæ & similia tot laudibus sæculi nostri extolli cœperunt. Quamvis inter præcipua morborum prophylactica merito ista numeremus; nimius tamen usus flaccida reddit vasa & tonum viscerum labefactat.

THESIS VII.

Correctio fit 1*mo* *Moderata coctione*, ut crassum cadat ad fundum, tenue non exhalet. Addunt aliqui coctioni semina anisi, fœniculi, radicem liquiritiæ, lignum sassafras &c.

2*do* *Destillatione*, qua purior fit aqua, durabilior, (verdirbt nicht so leicht) & minus putref-

putrefcens, fed quæ deinceps non fert coetionem. (Man kanns nicht zum Kochen brauchen.)

3*tio Percolatione* per arenam.

4*to Fumo fulphuris*, qui aquas fœtidas, turbidasque impuro fubfidente reddit limpidiffimas.

5*to Pane tofto* iniecto, cui aliquid nucis Mofchatæ inftratum eft.

THESIS VIII.

Scaturiens ad ortum folis aqua præftantior habetur; deinde quæ ad feptentrionem emergit; deterior eft ad occafum; peffima ad meridiem: Plus tamen fimul foli & vicinorum locorum ratio habenda eft.

THESIS IX.

Saluberrima aqua, quæ in ufum humanum revocari debet, his notis fit infignita. Sit:

1*mo* Excolor, infipida & inodora, quam Hippocrates albam, dulcem odoratam vocat.

2*do* Limpidiffima, pellucidiffima, & ad indicium hydrometri leviffima, fimulque motu exercita.

3*tio* Ad ignem cito calefcens & exhalans; eo remoto celeriter refrigefcens.

4*to* Carnes & legumina facili coctione fubigens, & linteorum maculas facili cum fapone connubio extergens.

5*to* Ab affuſo oleo tartari per deliquium vel ſolutione ſacchari ſaturni in pura aqua dilutis permanens limpida; cum impuriores aquæ ſtatim albeſcant vel turbidæ evadant. Atque ejuſmodi aqua non gravat corpus, permeat expedite, diſtribuitur velociter, acria cito eluit, viſcera depurat, & menſtruum vehiculumque fere univerſale exhibet. Nullus potus robuſtis & in vigore ætatis conſtitutis eſt convenientior, maxime ſi humores acriores ſunt, motus vegetior, temperies ſiccior.

THESIS X.

Ita omnino poſſumus aquam appellare primum & præcipuum hominum potum, omnibus hominibus officiis præſtandis idoneum, ut reliqui potus magis appellari diluta alimenta deberent. Cheynæus illos quoque, qui carnium eſui liberalius indulgent, vegetiores, alacriores, & a doloribus immunes, ultimum inter potus aquæ ſenium attigiſſe, ſcribit, & carnem ſic melius digeſtam: Plus & minus fugacium præbere, quam decuplum liquidi (e. g. vinoſi); ut bene omnino ſibi conſulant, quibus etiam in lautiori familia natis contigit ante virilem ætatem & prudentiam nihil vini niſi parciſſime bibiſſe; unde magis ſenſus integriores & affectus magis compoſiti. Notatum eſt vires coctionis ſub largiori vini uſu plus languere,

crescere vero mox surrogato aquæ potu; quandoquidem alimenta sunt animalium & vegetabilium fibrillæ, quæ vino perfusæ magis indurantur, maceratæ magis emolliuntur, solvuntur & liquescunt.

SECTIO II.

DE CEREVISIA.

THESIS XI.

Cerevisia, quam vinum regionum septentrionalium vocant, (quasi cereris vinum) est potus fermentatus ex frumenti seminibus, hordeo imprimis, aqua & lupulo; odoris saporisque grati ac vinosi, virtutis calefacientis, digerentis & modice nutrientis, & in ipsa copia inebriantis. Igitur ratione aquæ diluit, humectat, sitim extinguit: ratione frumenti nutrit: ratione lupuli calefacit & præservat a corruptione.

THESIS XII.

Ratione materiæ (s. frumenti) cerevisia est:

1*mo* *Triticea*, quæ colore albicans, plus calefacit & nutrit, segnius autem transit, viscidum auget, viscera facile obstruit, asthma inducit, lotium moratur.

2do Hordeacea, quæ magis rubens, ſucci eſt tenuioris, bene diuretici, & aperientis, minus vero nutrientis & calefacientis.
3tio Avenacea, in Polonia & Anglia frequens, flatulenta, alvum ſtipans, & minus ipſa hordeacea calefaciens ac nutriens. Omittimus *ſecalinam*, nutrientem magis, at & obſtruentem magis pectuſque opplentem; aliaſque ex milio & oryza, Tartaris hodie uſitatas, a noſtro vero uſu alienas. Hæc parcius ſumta, dant cereviſiam tenuem, diluentem magis & diureticam, & ſitim extinguentem: Liberalius adhibita, dant craſſiuſculam (cereviſiam) digeſtioni ſubvenientem, valide nutrientem & inebriantem; adeoque in victu præſertim duriori & minus alente convenientiſſimam.

THESIS XIII.

Ratione coctionis & fermentationis, quæ nunc plus, nunc minus protrahitur, fit ea in malto ſeu frumento macerato, prius ſiccato, deinde & leniter germinante, cujus farina, adjectis floribus cereviſiæ, fermenteſcens tenax illud & viſcidum vinculum partium frumenti diſſolvit, oleoſumque aquæ miſcibile reddit, & flatulentum corrigit. Notamus optima ſemina eſſe recentia. quæ cito germinant, nec miſcenda veteribus eſſe, ne impar ſit illa vis germinandi; ideo quoque, ubi hordeum & triticum miſcentur, debere

unius anni esse, & separatim in maltum redigi. In summa æstate & hieme non succedit coctio: æstas accelerat, hiems impedit fermentationem: vere optimæ parantur cerevisiæ.

THESIS XIV.

Lupuli, qui non flos sed fructus squamosus est, odorus valde & amaricans, adduntur cerevisiæ, ut subdulcem & nauseosum saporem frumenti in amariusculum convertant, lentum gluten partium attenuent, magis a corruptela vindicent, calefaciant & per renes ac intestina promtius ejiciant: copiosius mixti (lupuli) nimiam amaritiem, insuetis parum gratam gignunt, & gravi narcosi caput obnubilant.

THESIS XV.

Adduntur & alia cerevisiis:

1) *Scopo bono*, majorem salubritatem conciliandi per odorata aromatica & balsamica, e. g. radices Galangæ, Zedoariæ, Gentianæ, Angelicæ, Pimpinellæ, Helenii, Enulæ; herbas Scordii, Scolopendriæ, Absynthii, Cardui benedicti, Melissæ; baccas Lauri, Juniperi; cortices Citri, aurantiorum, nucem Moschatam, Caryophyllos, Saccharum, Mel &c. Circa quas medicatas cerevisias in Anglia frequentissimas notandum, species odoratas & volatiles in sacculo fer-

mentefcere cum illis : fixiores coqui , intermedias infundi debere. Ita parant cerevifias pro nephriticis cum fucco Betulæ & baccis Juniperi : Angli borraginatas amant , alii alias.

2) *Scopo malo*, addito fale, ut fitim cieant, & copiofius bibantur ; vel admixto hormino & femine Cuculi , unde vis inebrians inter dolores capitis & obfufcationes fenfuum ; vel quod peffimum , rabidam ebrietatem letho feu rore marino fylveftri conciliant : nec fuperftitiofa adjicere culpa vacat (e. g. **einen Finger eines armens Sünder ins Faß hängen, damit es gut abgehen möge.**).

3) *Scopo intermedio* , pice vel fuligine durabilitatem cerevifiæ acquirendi , cujus tamen fapor inde fit empyreumaticus , vel faccharum piper & zingiber in vafa fufceptæ cerevifiæ , ut fpumefcat , unde flatulenta fit & fermentefcens. (**Buttelbier.**)

THESIS XVI.

Alia differentia cerevifiarum eft :

1*mo Ratione climatis* , fub quo calidiori nequit bona & durabilis cerevifia parari , hinc regionum illarum incolis vitem potius natura indulfit , (e. g. Hifpaniæ , Italiæ.)

2*do Ratione loci* , ob quem non modo cerevifia inter fe , fed & in una fubinde urbe differunt , licet una fit præparatio earundem fpecierum. Fit hinc ut fæpe fplendidæ ur-

bes deteriorem vicinis opidulis cerevisiam parent.

3tio Ratione coloris & saporis quo inter albam seu pallide coloram & inter fuscam seu subruffescentem distinguunt. Prior triticea est; vel ex hordeo ad aërem siccato, vel utrisque mixtis, parum aut plane non lupulata, substantiæ minus habens, dulcior & plerumque turbida nec durabilis, sed facile acescens: Posterior clarior, durabilior, plus lupuli & plus substantiæ habet & plus præsidii contra acorem & corruptelam.

4to Ratione modi coquendi & fermentandi, alii maltum valde, alli parum germinans eligunt; alii in tepida, alii in fervente aqua extrahunt; alii leviter infundunt lupulum, alii coquunt; alii citius, alii serius in vasa colligunt: alii in vasa pura, alii in picata. Fermentationem alii celerem alii tardam, alii in apertis vasis, alii in semiclausis instituunt: ubi probe notandum est, fermentationem nimis protractam, cerevisiam vappidam reddere; nimis cito oppressam, flatu elastico nocere plurimum: nam illi in fermentando halitus, qui arctiori halitu nares feriunt cum vitæ periculo, remanent ex parte in cerevisia, per vires quidem dispersas minus lædentes, at largiori potu inebriantes valde & sensus hebetantes. Illi (halitus) igitur de industria oppressi in ista specie quam designavimus (Buttelbier) mo-

tum caloremque gignunt, & in novam vim fermentandi cum vaſorum ruptura exſuſcitantur; dantque cereviſiam gratam & jucunde ſpumeſcentem ſed valde inſalubrem.

THESIS XVII.

Enarrabimus aliquot ſpecies notatiorum cereviſiarum, inter quas ſunt;

1) *Breihan*, cui nomen eſt ab autore Breihan (Hannoveræ anno 1526.) participat de tritico & hordeo ſimul (ana) & boni ſaporis eſt, male tamen defœcata moratur urinam & dyſpnœam parit. Laudari ſolet Halberſtadienſis ſubaromatici ſaporis.

2) *Brunſvicenſis mummia*, hordeacea, odoris fragrantis, coloris grati, ſaporis ex amaro dulcis. Tollius (Batavus) præſtantiſſimam vocat omnium, quas biberit peregrinatus: durabilis eſt & incorrupta, longiſſime transfertur, imo ſuavior inde evadit. Nimius tamen uſus caput gravat & oris ſiccitatem parit.

3) *Einbecenſis*, olim celeberrima (Amſtelodami adhuc cella Einbecenſis nomen gerit) hordeacea, clara, tenuis, primum ſubamara, deinde acris & penetrans.

4) *Garlebienſis*, hordeacea, craſſa, ſuavis, flatus diſcutiens, alvum laxans, venerem excitans. A Meibomio laudatur.

5) *Gustroviensis* (Gnüsenack) triticea, crassa, inebrians & spirituosa parte vix vino cedens. (Si calide bibitur.)

6) *Lebigunensis*, sitim extinguit, leni & viscidulo acore vix inebriat, facile per lotium secedit.

7) *Merseburgensis*, pro iis, qui imbecilliores sunt, & viscido laborant, coctionem egregie juvat, nutrit, alvum aperit, excretiones promovet.

8) *Numburgensis*, hordeacea, multi nutrimenti, alvum & urinam bene ducens.

9) *Ratzeburgensis*, (Rommeldeis) saporis vinosi, valde inebriantis. (inpr. calide sumta).

10) *Regio-Lotbariensis*, (Königslutter) (Duchstein) triticea, diuretica, arthriticis, podagricis & calculosis salutaris.

11] *Wratislaviensis*, (Schöps) quæ alit multum & confortat, maxime senex; at quia caput replet & turbida est, multis pro insalubri habetur.

12) *Wettinensis* (Keiterlink) diuretica magis, quam nutriens.

13) *Servestana* (Zerbster) saporis jucundi, hieme inprimis generosior (ne dicam de aliis, ut Wurzensibus, Eilenburgensibus &c.)

THESIS XVIII.

Cerevisia sive calide sive frigide pota, si bona est, plus ipso cibo alit; mala, plus ipso vino & deterius inebriat: bonam dicimus, quæ ex purissimis granis confecta, bene fermentata, modice lupulata, instar vini limpida est, ætatis inter recentem & veterem mediæ, saporis odorisque grati & vinosi, nec nimis acris & irritantis. Si tenuis est virtutis plus diluentis, sitimque restinguentis & diureticæ: si validior, plus alentis & calefacientis. Malam e contrario vocamus e granis vetustis corruptisque paratam, male fermentatam, lupulo vel non, vel nimis imprægnatam, recentem vel vetustam nimis, quarum illa crassior & turbidior, hæc in acidum vergens, qualis colicam, sodam, stranguriam &c. parit & male distribuitur.

SECTIO III.

DE VINO.

THESIS XIX.

Vinum inter potulenta arte parata antiquissimum, & in maximo honore, si Pythagoræos excipimus, semper habitum; est succus ex uvis maturis vitis viniferæ ex-

pressus ac fermentatus, continens partes salino oleosas, aquæ miscibiles, & leni mucagine terrestri obvolutas, qui tempestive & moderate sumtus, coctionem egregie juvat, appetitum ciet, alimenta penitius miscet, flatus discutit, calorem auget, vires recreat, spiritus gignit, venerem ciet, animum exhilarat, curas demulcet, somnum parit, senibus agilitatem, eruditis ingenium perspicacius conciliat, inest præterea vis diuretica, renum & mesenterii oppilationes reserans, putre compescens, languentis circulationis virtutem intendens, natasque ab illa sordes coquens & eliminans; ideo frigidis, debilibus, senibus, hydropicis &c. conveniens, & sub legitimo usu naturale cardiacum; velut abusu flagellum cerebri, mors memoriæ, stimulus libidinum, carnificina articulorum appellari solet.

THESIS XX.

Vitis vinifera in frigidis regionibus vel non fert uvas vel immaturas; in calidioribus magna uvarum maturitas & dulcedo est. Succus uvarum immature expressus, viridis, acidus, adstringens audit agresta seu omphacium, quo Galli cum aqua & saccharo parant æstiva julapia: ex perfecte maturis uvis seorsim decerptis & caute pressis fit optimum mustum, non æque, si uvæ cum pedunculis & scapis quassant; vilius

adhuc ex totis racemis, prelo preſſis cum adhærentibus ſordibus. Eſt & muſtum coctum, in quo humidius coctione abigitur: ſi duæ partes ex tribus coquendo avolant, dicitur ſapa; ſi dimidium, defrutum; ſi pars tertia carenum. Nullum vero muſtum, vel vires vini habet, vel ſponte in vinum tranſit. Ars caute & tarde in frigidis locis cellifque & vaſis nec oppletis nimis nec occluſis fermentationem dirigit, qua duo ejiciuntur, ſcil. primo tartarus, ſal vini eſſentiale, deinde & feces. Æſtas ſicca ex uvis ita fermentatis dat parum vini & generoſi: æſtas humida multum vini ſed vilioris ac debilioris. Becherus tres vini ſubſtantias facit; primam quæ ſpiritus eſt, mediam, quæ ipſum vinum, infimam, quæ tartarus, quippe nunquam fermentando plene ejectus. Eminet primum, ſi vinum cito calefacit & inebriat; eminet alterum, ſi nutrit & roborat; eminet infimum, ſi alvum laxat, reneſque & artus turbat. Vinum ſecundarium ſeu Lorum vocant, cuju ortus eſt ex vinaceis ſeu recrementis uvarum poſt preſſionem reſiduis.

THESIS XXI.

Differentia vini pendet: 1) *a climate*, ſub quo calidiori vina obtinentur, quorum major maturitas & dulcedo digerentis calori

ſolis debetur ; debiliora ad ſeptentrionem reperiuntur.

2) *A Conſiſtentia* , quæ tenuior, dat vina oligophora , (quæ parum ſpirituum vehunt) imbecilla inſipida, quæ nec roborant multum , nec coctionem juvant , nec nutriunt, at facile permeant, ſitim exſtinguunt, lotium pellunt : ubi craſſior conſiſtentia, ut in vinis rubris & dulcibus , major vis nutriendi eſt , at & hærendi diutius & obſtruendi.

3) *Ab ætate*, quæ minor , dat dulciora vina, alvum magis moventia , at crudiora & tartaro refertiora ; quæ flatus generant, urinam ſupprimunt, ſenſus obtundunt , ſomnia turbulenta reddunt : vetuſta nimis ſiccant & calefaciunt vehementer , ſimulque gratiam amittunt.

4) *A ſplendore & levitate*, qualia vina ſpirituum abundantia & ſubtilitate gaudent, bullulaſque cum ſono in vitro excitant, Friſca olim appellata.

5) *Sapore* , qui auſterus copiam tartari & terræ arguit, ſpirituumque penuriam , unde ægre permeant hæc vina , (per corpus) morantur in ventre, ſeneſcentia tamen pulchre roborant & melius diſtribuuntur. Acerba plus auſteris adſtringunt, tarde diſtribuuntur, excretiones morantur , vitia pectoris augent : acida ſoluto tartaro abundant, ſodam facile gignunt, frigus & flatus pariunt;

dulcia & pinguia grata guſtui, ſales obvolutos magis continent, & aquæ minus (ut Hiſpanicum), calefaciunt, nutriunt, aſperitatem faucium & pectoris leniunt; recentiora obſtruunt; generoſiora plus acrimoniæ & caloris pariunt, biliſque vitia intendunt.

6) *Ab odore*, qui fragrans & inſtar aromatis ſuaveolens lapſas vires reficit. Inodora parum ſpirituum habent: male odora a pice, reſina, vaſis vel quacunque corruptione naſcuntur.

7) *A colore*, qui limpidus, aquoſa vina, excepto canarienſi, ruber vim adſtringendi, niger vim obſtruendi, intenſe flavus vim calefaciendi notat; quod fallit in vinis per artem coloratis.

8) *A fermentatione*, ſunt vina, quæ vix ferunt fermentationem, nec ſine corruptione, ut apparet in multis vinis Italiæ, quæ muſta potius cocta, quam vina vocari merentur; hinc impuriora & inſalubriora, nec fermentando defœcata, Itali ipſi vino cotto appellant. Alia non niſi parvam fermentationem ferunt, ut Hiſpanica & Inſulana; unde in iis dulcedo muſti perſiſtit. Tertia claſſis eorum eſt, quæ plenam fermentationem ſuſtinent, meliora prioribus, nec tamen niſi in moderatum uſum a calidioribus revocanda.

Thesis XXII.

Maxime ratione ingredientium conſideramus primo partem aquoſam, deinde ſpirituoſam; porro oleoſam & reſinoſam; denique tartaream & gummoſam. Quas omnes vario gradu mixtas (partes) vina continent, & hinc plenius de ſua virtute inſtruunt. Notamus:

1*mo* Vina Inſulana (quæ inſulis creſcunt) quale eſt chium, vel in Creta Malvaticum, ſaporis dulcis, coloris ex aureo nigri, ex electis uvis ultra maturitatem in vite relictis: Analeptica hæc vina ſunt (ſtårken ſehr) & nobiliſſima, at vinis Hiſpanicis imo hydromelle ſæpius corrumpuntur. Carnarienſes inſulæ, Palma & Madera dant celebre vinum; Itali vino ſecco appellant (a ſicco, quia uvæ in ſumma maturitate quaſi ſiccæ ſunt): vilius eſt, quod prope Xeres, Hiſpani miſcent ſub nomine Xereſerſeci. Notamus iſta vina, imprimis malvaticum abundare ſpiritu, at & tartaro & parte oleoſa & reſinoſa, aquæ autem parum præ reliquis vinis habere.

2*do* *Vina Italica*, dulcia & generoſa, ut Florentina rubra & alba, & in Campania lacryma Chriſti, coloris rubri, ſaporis ſubacris & dulcis. Romæ propinquiora ſunt vina de Albano, (de Oriettò) de monte

Fiascone. Sed vix fermentationem ferunt, quæ spiritus evolvit.

3tio Vina Hispanica, pinguissima & dulcissima, at semi-fermentata, inter quæ præstat Alicanticum. Continent vina Hispanica plurimum partis tartareæ & oleosæ, minimum aquæ & spirituum, modicum partis oleosæ & resinosæ. Alicantinum tamen, quod crassum, rubrum, dulce, stomachicum, plus habet spirituum, nec parum partis oleosæ & resinosæ. Vina Lusitanica admodum calida sunt.

4to Gallica, quæ dulcissima sunt in Languedocia & Provincia; fortissima in Burgundia & Campania; vilissima in Picardia. Campana diuretica sunt & delicati saporis, & nullum est vinum, quod minus tartari vehit, spirituum satis, aquam & partem oleosam modice continet; gratissima sunt Burgundica, tartari & oleosæ partis parum habent, spirituum plus; magis spiritu abundat Frontignac, Eremitage plus etiam oleosæ partis, modicum tartari & aquæ habent. Pontac præ reliquis vinis aquam vehit, plurimum quoque ejus Vin de Grave, utraque vina modice spiritus habent, parum tartari & olei. Etiam vulgaria vina Gallica multum spiritus habent & aquæ, parum tartari & oleosæ partis.

5to Hungarica, odoris & saporis grati aromatici, dulcedo durans est, vis diapho-

retica & analeptica; ut, licet copiose bibas, nulli tamen facile languores & dolores capitis sequantur; minoris dignitatis sunt vina Hungariæ inferioris. Præstat omnibus vinum St. Georgii & Tockaviense, hoc multum vehit partis tartareæ etiam oleosæ, resinosæ, mucilaginosæ, modicum spirituosæ, parum aquæ.

6to Bohemica, quæ terrestria & calcaria, nec ætatem ferunt. (Bey Neuburg.)

7mo Germanica, inter quæ numeramus:

a) *Alsatica*, sulphurea & capiti infesta.

b) *Austriaca*, tartaro quoque fortiori & spiritu plena, ceterum non insuavia.

c) *Franconica*, acida ut plurimum & subaustera, tartaro & sulphure referta. Præstat Würzburgense & Klingenbergense.

d) *Helvetica*, satis spirituosa.

e) *Moselana*, aquosa diuretica, salubria arthriticis & calculosis, sed non sint ultra annum.

f) *Neccarensia*, quæ cito ætate vappescunt.

g) *Palatina*, ad strata montana vulgo Bergstraß.

h) *Rhenana*, quæ ceteris sine dubio præstant imprimis vetustiora & generosiora, habent parum tartareæ partis & oleosæ resinosæ. Dantur & rubella (rheinische Bleicher.)

i) *Thuringica*, acerba magis & tartarea. *Numburgenſia* auſtera & valde turbida: *Miſnenſia* meliora.

k) *Tyrolica*, grata ſatis, ſed non durabilia.

Thesis XXIII.

Artificia vinum tractandi nunc bona ſunt, ſaltem ferenda, nunc mala & noxia. Priora ſunt, dum turbida vina clarificant, acorem temperant (creta,) ſaporem vini Moſellani conciliant (per flores ſambuci) corruptionem emendant (per ſpiritum vini) vel colorare ſolent (ſaccharo.) Poſteriora ſunt, Lithargyrio, marcaſita, imo Mercurio ſublimato, vel ipſo arſenico infecta. Lithargyriata vina rigores, ſpaſmos, tabem pariunt. Cognoſcitur Lithargyrii mixtio præcipitatione per extractionem auripigmenti cum calce viva. Vinum ſine ſaturno ſervat colorem, illo addito, majorem fuſcedinem vel nigredinem acquiret. Vinum rhenanum arſenicatum prodit ſolutio ſaturni in aquaforti; Mercurio ſublimato infectum manifeſtat ſpiritus ſalis ammoniacus.

Thesis XXIV.

Ad multos uſus & culinares & medicos vinum impenditur; ibi vina Enulata, Abſinthiaca, emetica, aromatiſata, Hippocratica, ceraſata; hic Eſſentias, tincturas, Ele-

ctuaria, Extracta, Balſamos, ſyrupos ingreditur. Sunt in officinis aquæ vinoſæ ſimplices, ut Cinnamomi, Zedoariæ, Meliſſæ, liliorum convalliorum, Menthæ, corticum aurantiorum, Citri; vel vinoſæ compoſitæ, ut carminativæ, apoplecticæ, hyſtericæ &c.

THESIS XXV.

Græcis pro more elegantiorum hominum habitus eſt, nunquam vinum ſine aqua bibere: Barbaris & Scythis tribuebant meracius (i. e. ſine aqua) bibere. Apud Athenæum Amphitryoni ab ipſo Baccho traditus mos eſt, vinum cum aqua miſcendi (Romani, potum poſtulantes, hac voce utebantur, miſce.) Hinc & in communi templo altera ara poſita eſt Baccho, altera Nymphis. Ad accuratius determinandum hunc miſcendi uſum, reſpicere oportet, ægri bibant an ſani, juvenes an ſenes, frigidi debilesque an fortes & calidi? Nec minus æſtimare fas eſt gradum vini nunc generoſioris, nunc infirmioris, nunc tempus vel æſtivum vel hiemale, nunc ipſam regionis indolem. Inde diſcimus, dimidiumne aquæ vino adjicere fas ſit, an docente Heſiodo, tres aquæ partes infundere uni parti vini, an interdum præſtet meracius bibere? Judice Hippocrate, æſtate dilutius, hieme meracius bibendum eſt. Et pulchre apud

Homerum Achilles Phœnici & Vlyſſi ſenibus meracius infundere jubet. Vina noſtra oligophora, ut Rhenanum & Moſelanum, vix patiuntur ſe dilui.

Thesis XXVI.

Omne vinum copia nocet ob vim calefaciendi, liquida diſſipandi, ſolida rigefaciendi, caput petendi, nervis tremores & contracturas inducendi, ſeniumque accelerandi, maxime arthriticis, nephriticis, epilepticis aliisque quibus bilioſa eſt temperies, orgaſmus humorum, ulceroſum corpus, capitis gravitas & ſimilia.

Thesis XXVII.

Bonum & ſalubre vinum eſt, bene fermentatum, ætatis inter recentem & veterem, conſiſtentiæ inter craſſum & tenue mediæ, pellucidum, frigidum, ſtrepens ac ſaliens, (calidum cito fit vappidum) odore fragrans, ſapore gratum, renes cito permeans, noctu levem ſudorem ciens, altero die alvum apertam tenens, & nec dolores capitis, nec languores relinquens. Inſalubre vinum eſt ex uvis acerbis natum, vel male fermentatum, vel alia ratione corruptum, turbidum, vappidum, rancidum, nec ſaporis nec odoris grati.

Thesis XXVIII.

Congeneres potus vinosi sunt plurimi, ita alii ex radicibus Brytum parant, Boeones ex milio & oryza Parabium, Thraces vinum ex frugibus varii generis. Nos notamus præsertim:

1*mo Vinum Palmeum* (Palm-Wein) suave & nimios fluxus sistens, maxime eorum, qui sanguinem exscreant: At ceterum capiti infestum. Bibunt nempe ex ramis incisis destillantem liquorem, & quia triduo summum acorem contrahit, coquendo, defecandoque durabiliorem reddunt.

2*do Sidram*, seu vinum ex pomis pirisque suave at flatulentum & facile acescens, ex acidis fructibus calidæ ex dulcibus frigidæ regiones parant, lege fermentationis, quam expressus succus subire debet.

3*tio Cyceonem*, seu potum varie mistum, ex vino, melle, polenta, aqua, imo caseo & modico oleo: Cinnum romani appellant, (unde verbum concinnare ortum:) Et ex novem speciebus Dodram vocabant. (jus, aqua, mel, vinum, panis, piper, herba, oleum, sal.)

4*to Aquas vitæ*, ubi vini spirituosa pars destillata concentratior, in minori vehiculo aqueo, vim habet, modico usu, coctionem juvandi, flatus discutiendi, & hieme inprimis peregrinantibus convenit. Verum lon-

ge major noxa ex abufu timenda eft, dum ficcant illi potus, fitim inducunt, bilem acuunt, cruda propellunt, folida ftringunt, liquida coagulant, & infinita fæpe mala pariunt: Quo pertinet Anglorum Punfch. Omittimus hic illas fummæ varietatis aquas vitæ.

5to *Mulfum*, feu mifcelam vini & mellis fubinde cum aromate; potum certe probum & falubrem, at fi ex mufto fit, flatulentum & ftomacho adverfum. Pertinent huc *Metones* quæ ex iisdem coquuntur, fermentefcunt, & defpumantur; ita fe habent Meto helenites pectoralis, zedoarites ftomachicus, Caryophyllites, denique aromatites; ita habemus hydromel paffulatum atque alia hujus generis multa.

Thesis XXIX.

Omnes dictæ potiones vel frigide adhibentur vel calide: Frigidas olim parabant fufpendendo aquam aut vinum in puteo, vel ante feneftras, aëri nocturno exponendo; aut quod pejus, nivem aut glaciem mifcendo, aut quos alios refrigerandi modos luxus invenit. Salubrius Nero aquam decoctam & fuo vafe exceptam immittere in nives docuit: Hodie etiam nitro diluto, probe mixto & agitato, refrigerant; Qualis potus frigidus inprimis in glacie vel nive paratus, licet nimio & intempeftivo ufu ma-

xime noceat otiosis & debilibus, vel prius excalefactis; imo teste Galeno, crescente ætate articulos nervosque & viscera multis imbecillitatibus affligat, adeoque in prima & ultima ætate ob infirmitatem caloris & virium recte dissuadeatur, calidos tamen (scilicet per se) laboribus exercitatos & in vegetiori ætate constitutos optime juvat, & ab assuetis in senio, imo aliquando in febribus continuari potest.

SECTIO IV.

DE POTULENTIS CALIDIS.

THESIS XXX.

Potus calidus; quem præter hominem nullum animal appetere, adeoque naturalem non esse, Plinius ait. Sine dubio ab imbecillis, quos frigidior offendit, valetudinis causa primum excogitatus: Deinde luxui servit in publicis cauponis apud Romanos & Græcos, quod de aqua imprimis intelligendum est. Julius Pollux disputat contra eos, qui, veteres calidam bibisse, putant; & Japonios constat ferventem bene aquam perpetuo potare. Certe mollit calidus potus, eluit, discutit, flatus provocat, coctionem juvat, dolores mitigat, mucum ducit screa-

tus promovet; excretiones auget, & in angore ventriculi, vitiis renum, thoracis & inteſtinorum prodeſt. Uſum calidæ mire laudat Ætius, & Hippocrates febricitantibus exhibet. Immoderato tamen uſu virtutem ſtomachi ſolvi jam Avicenna ſtatuit. De uſu vini calidi ſpeciatim egregias obſervationes & curationes exhibet Joh. Baptiſta Davini apud Valiſnierium.

Thesis XXXI.

Inter potiones calidas uſitatiores primum locum obtinet *Infuſum Theæ* cum luxu ſæculi invectum.

Thea eſt frutex a Breynio & Kæmpfero optime deſcriptus, ſub nullo alio cœlo efflorefcens quam Chinenſium, niſi Japonenſes addamus, vel etiam Siamenſes, a quibus tamen eam non accipimus, (unice a Chinenſibus.) Errarunt Pauli, qui Myrtum Brabanticam, Labat qui caprarium, alii qui Botryn Mexicanam vocant. Habet vero hic frutex folia ceraſi, flores roſæ ſylveſtris, fructum unicoccum, bicoccum ut plurimum tricoccum, non vero flores ſed ſola folia inde colliguntur; & hæc quidem optima ſub initium menſis Martii, bonitate proxima ſub initium Aprilis deteriora ſub initium Maji, & ſub hujus finem deterrima: Ubi iterum notandum, in quavis collectione

ſeorſim decerpi, quæ in vertice ſedent, minora quidem at optima; ſeorſim, quæ proxime ſita ſunt; iterum ſeorſim inferiora & tandem infima, quæ maxima quidem ſunt at viliſſima; idque omne fit ſub auſpiciis magiſtratus, nec quicquam ad nos de prima collectione venit, raro de ſecunda, ut plurimum de tertia. Decerpta Chinenſes magno furnorum, inſtrumentorum ſervorumque miniſterio provide ſiccant: Japonenſes præcipitantius, qui hinc ſiccata in pulverem minuunt, huncque ſimul cum aqua infuſa imbibunt. Neceſſaria vero eſt exſiccatio, quia vim noxiam & ſtupefacientem recentis germinis diſſipat, præſervatque a corruptione, & præterea favet complicationi ad transmittendum aptiori. Tres apud nos ſpecies maxime circumferuntur.

1*mo* *Thea imperialis*, folio amplo laxo. (Tea king.)

2*do* *Thea viridis*, oblongo folio. (Tea Hyſon.)

3*tia* *Thea viridis*, folio minori (Tea ſinglo.) hæc viliſſima uti prima pretioſiſſima.

At *Thea Boe*, quam circumferunt, habetur pro ſpecie adulterata vilioris Theæ viridis, quæ nigredinem a Marte, odorem a roſis, tincturam fuſcam ab extracto quodam accepit, impar pretio & viribus. Inter ſortes meliores ſunt maxime Thea Becco, Thea Congo, Thea Chaucum. Ut de ipſa vir-

tute Theæ dicamus, quam nimis extollunt Bontekoe, Waldſchmidt, Kœnig; nimis extenuat Pauli &c. &c. Agnoſcimus cum Kæmpfero nullum infuſum minus gravare ventriculum, nullum æque permeare, ſopitosque ſpiritus excitare, igitur ſub moderato uſu laudamus tanquam repurgans defecans ſanguinis, deobſtruens viſcerum, reſerans excretoriorum, eliminans acrium, magnum denique remedium in torpore appetitus, ſaburra bilioſa, calculo, podagra, convulſionibus, ſomnolentia, ebrietate, febribus &c. Ex teſtimonio Japonenſium nocet in ophthalmia & colica. Certum eſt ejus abuſum creare Atoniam, maxime ventriculi & inteſtinorum, Diabeten, inflationem abdominis, colicam, imo judice Wedelio, impotentiam virilem, qui tamen effectus magis ſunt ipſius aquæ calidæ, cui a Thea tantum accedit vis levis adſtringens & tonica, cum odore & ſapore grato & aromatico; nec male ſaccharum additur vel a quibusdam cortex cinnamomi, citri, ſemen aniſi ſtellati, Lignum ſaſſafras & liquiritiæ, vel ſimilia tonica, imo & lac nutriendi ſcopo. Si unciam Theæ viridis primum aqua extrahis, deinde ſpiritu rectificato; aquoſum extractum habet drachmas 4. & ſcrupulos 2, ſpirituoſum ſcrupulum 1. Si vero ſpiritu primum deinde aqua extrahis, ſpirituoſi extracti erit drachmarum 3 & quod aquo-

ſum ſcrupuli 4, ita ut fex reſiduus ſit drachmarum 3 & medii ſcrupuli: Ergo prævalet vis menſtrui aquoſi, prævalent partes mucilaginoſæ, quas aqua extrahit, pauciores ſunt reſinoſæ, quæ dant virorem, vimque adſtringendi; oleum vix deprehenditur, nec quicquam ſalis, quod tamen omnes fere autores clamant alcalinum eſſe; nihil horum ſeparari poteſt. Sunt, qui pro Thea indigenas plantas commendant, cum Hoffmanno Veronicam, cum Gohlio Teucrium, cum Gottfredo Thomaſio folia viridia roſarum, cum aliis Meliſſam, Salviam, Betonicam, Millefolium, Chamæpityn &c. at ille luxus, qui prævaluit in præſcriptionibus Theiformibus, nihil adhuc detraxit laudibus ipſius Theæ. Jeſuitarum Thee romanum & Botrys Ambroſioides Mexicana, & facile per culturam in noſtris hortis germinat. (Nunquam Thea Chinenſium creſcit in noſtris hortis.)

THESIS XXXII.

Altero loco inter infuſa calida eſt *Infuſum Caffee. Caffee* eſt fructus arboris in felici Arabia naſcentis ad altitudinem 20 vel 40 pedum, virentis ſemper & fructus exhibentis vere, æſtate & hieme. Hæc arbor veteribus non incognita jam Rhaſi Bunca vocata eſt, Cluſio Buna, Alpino Bon, Rauwolfio Buncho, eſt Jaſminum Arabicum, caſtaneæ

vel lauri folio, flore albo odoratiſſimo, ſtuctu rubro ad formam ceraſi oblongi, pellicula non carne tecti. Hos ſiccant ad ſolem, ligneis machinis agitant & excutiunt pelliculas inſtar paleæ, liberantque nucleos in binas partes diſſilientes, quæ ſeorſim in terram inſertæ, fallunt ſpem vegetationis, ad quam recens & integer pelliculaque tectus fructus requiritur. Ex ſiccatis ita fructibus & deinde uſtulatis paratum ſuave infuſum Turcæ Coave vocant; nos ad ſimilitudinem aliquam coffee. Sed ex ipſis uſtulatis pelliculis Arabes præſtantiſſimum infuſum parant, quod ſultanicum appellant. In medio elapſi ſeculi 1650 per Europam innotuit infuſum noſtrum ope mercatorum ex oriente venientium, cumque arrideret potus, tabernas Pariſiis & Londini inſtruentium. Noſtrates rem proſecuti ex conſilio Witſii conſulis Amſtelodamenſis ipſas arbores in Javam deinde & Europam tranſtulerunt, uti Angli in Surinam. Hinc tres præcipue ſpecies cito innotuerunt.

1*mo* *Coffee Arabicum* ſeu Levanticum, conſtans parvis & obſcure flaveſcentibus ſeminibus.

2*do* *Javanicum* ex India orientali, conſtans magnis & pallide flaveſcentibus:

3*tio* *Surinamum*, ex India occidentali, conſtans modicæ magnitudinis & virideſcentis coloris ſeminibus.

Generatim laudamus ſemina rite ſiccata & a ſcoriis repurgata, jucundi odoris poſt uſtulationem ad virorem, qui recentis fructus indicium eſt, vergentia, graviuſcula, haud aquæ innatantia, nec facile ranceſcentia. Penitius examen crudi Coffee probat, ultra dimidium eſſe partium terreſtrium, quas nec aqua nec ſpiritus vini extrahit, deinde dimidium reſidui conſtare partibus gummoſo mucilaginoſis. Quarta circiter pars, quæ jam reſtat, pluſculum continet partium reſinoſarum, aliquid aquæ, paucum & vix demonſtrabile ſal & oleum. Quodſi uncias 2 crudi Coffee extrahis primum aqua, deinde ſpiritu vini, prius extractum dat drachmas 5, poſterius gr. 26: Si primum ſpiritu vini, deinde aqua extrahis, prius extractum habet drachmas 3 $\frac{1}{2}$ alterum drachmas 2, & ſic utrinque reſiduum eſt drachmæ 10 $\frac{1}{2}$. Per diſtilationem ex lb. 1 obtinemus uncias 6 circiter diſtillati phlegmatici, paulo plus ſpiſſi olei & minus capitis mortui, ex quo tamen ſalis fixi drachmæ 3 eliciuntur. Cum tamen conſilio Andry ex crudo Coffee infuſum parandi, auſcultet hodie nemo. Præſtat intueri genium uſtulati Coffee: Quarta pars uſtulando exhalat ad maximam partem aquoſam, cui aliquid accedit ab initio ejus acidi poſtea oleoſi tenuis empyreumatici, ſuavis odoris. Ipſum uſtulatum Coffee, ſi primum aqua, deinde ſpi-

ritu vini extrahis (ſcilicet lb. I.) obtines ibi uncias 7, drachmas 2, & ſcrupulos 2 hic drachmas 5: Si primum ſpiritu vini, deinde aqua extrahis, ibi accipies uncias 4 & ſcrupulos 4 hic uncias 4 utrinque reſiduum fere æquale erit ad uncias 8. Extracta ſpirituoſa ſunt inſuavia & nauſeoſa, aquoſa vero grata & ſubamaricantia. Igitur infuſum abundat gummoſis partibus, pauxillum ſe miſcet ſubtilis olei, omnia penetrantis & facile exhalantis. His ſi lac & ſaccharum additur grata miſtura emergit nec inſalubris, ſi uſtulatio moderate facta in vaſis tectis, & extractio per juſtum cum affuſa aqua caloris gradum. Lemery ventriculum roborari, coctionem juvari, viſcida & cruda attenuari, cephalalgiam ſanari, animum exhilarari, memoriam acui exiſtimat hoc infuſo (ebrietatem compeſci:) Nec tamen damna ex abuſu diſſimulat, quæ in eo conſiſtunt, ut obſtruat viſcera, anxietates, palpitationes, artuum tremores pariat, idque imprimis, ſi ab otioſis & in loco frigido bibitur. Simon Pauli etiam eo nomine improbat, quod viros credit elumbare. Cheynæus imprimis laudat in ventriculo humido & pituitoſo ob vim abſorbentem acida & ſiccantem. Quæ hodie ex rationibus maxime œconomicis ſubſtituuntur uſtulatæ ex variis frugibus maxime ſecali parem laudem vix inveniunt.

THESIS XXXIII.

Gratus præterea palato nec insalubris est potus calidus *succolatæ*, qui maxime ex nucleis cacao paratur, ab arbore Indiæ occidentalis, quam Avellanam Mexicanam, vulgo cacaotel vocant. Hi nuclei ad formam & magnitudinem ac vires amygdalarum accedunt, & magno numero involucris corticosis, duris, rugosis, fuscis & oblongis includuntur, substantiæ blandæ & oleosæ, saporis pinguiusculi & subamari, odoris nullius. Eligere oportet parvos, integros, ponderosos, pingues, fuscos, vel nigricantes, sapidos & caute asservatos: Negligere magnos nimis ac vetustos, vel etiam mucidos & cariosos. Ex illis siccatis probe ac tostis addito saccharo & aromatibus, massa paratur saturate rubra, in tabellas plerumque quadratas vel oblongas redacta. Americani Cacao Achiotam piper & anisum jungunt, quæ nobis mixtura acris nimis videretur, velut nostra illis insipida. Europæis in more est, præter saccharum & cinnamomum addere siliquas aliquot Vanillæ, odoris suavis, saporis acris & succum inspissatum Achiotæ ex granis rubris siliquarum rotundarum arboris orleanæ & in globulos & placentas formatum. Integrum aliis est addito pauxillo Moschi, Ambræ, caryophyllorum & aquæ Naphæ, majorem suaveolen-

tiam conciliare, quam non omnes impune ferunt. Patet vero ex dictis virtutem medicam potus noſtri partim ex nucleis ipſis Cacao, partim ex additis aromatibus & fragrantibus ſpeciebus, partim ex menſtruo, quo paratur, nempe aqua lacte vel vino determinandam eſſe. Ratione fructuum cacao vis magna ineſt nutriens & demulcens, calidis & emaciatis opportuna, reſtaurans vires cum conſtantia, ſomnum placidum reſtituens, tuſſim compeſcens, exhauſtos a labore recreans, maxime ſi cum ſaccharo lacte & vitello ovi paratur. Nocet autem copia ob difficilem diſtributionem & vim obſtruendi, quæ abundantiæ partium glutinoſarum debetur. Metuenda otioſis, obeſis, leucophlegmaticis, languidis, calculoſis & ad quamcunque obſtructionem proclivioribus; contra quæ ipſa mala acceſſit uſus aromatum, & ſubinde præparatio cum ipſo vino, ex quibus omnibus vis major cardiaca, ſtomachica, aphrodiſiaca, carminativa pendet, cum magna eorum utilitate, qui loqui multum, longe peregrinari, vel graves labores ſubire volunt. Caveant tamen adjecta nimis acria bilioſi, epileptici, maxime ſuaveolentia, qui nervoſi ſyſtematis vitio laborant.

Thesis XXXIV.

Fumus Tabaci, quamvis ad calidos potus improprie referatur, quia tamen ætatis noſtræ fere delicium eſt, quippe quæ fumo non minus ſuaviter quam potu paſcitur. Volumus hic omittere Tabacum quod Barbari Petum vocant, ab Inſula Americana Tabago nomen habet; herba nicotiana a primo patrono ſuo Nicoto audit (anno 1559. innotuit.) Camerario Conſolida Indica; Dodonæo Hyoſciamum Peruvianum vocatur. Folia habet numeroſa, oblonga, ſucculenta, hirſuta, fibris & venis fere orba; radicem craſſam, multifidam, lignoſam, intus croceam & amaram; Flores in ſummo ramo numeroſos, luteos, monopetalos, infundibuliformes, quorum piſtillus in fructum abit, qui minuta recondit ſemina. Analyſis chemica partes ſulphureas & mucilaginoſas, præterea acres ſalinas detegit, illas narcoticas, ſoporoſas, mulcentes, (ut in odontalgia apparet) has vero partim irritantes ad lymphæ ſeceſſum, vomitum, & ejectiones alvinas, partim aperientes & abſtergentes; hinc interne in aſthmate humido, externe in ulceribus, ſcabie & œdematibus pedum uſus non contemnendi. Generatim notamus, prudentiores hac herba modice uti, cujus vis medica ipſa conſuetudine infringitur, prorſus autem merito abſtinere ſicciores,

ne plus ſiccentur, bilioſos, ne pituita, quæ frenum bilis eſt, exhauſta augeat morbos bilis; pueros, quorum ætati naturalis & utilis humiditas non eſt temere ſurripienda; & gravidas denique, quibus vel ſternutatio vel vomitus facile abortum pariunt. Tres præcipue ſpecies ſunt Nicotianæ 1) Major latifolia, 2) Major anguſtifolia, 3) Minor ſeu Hyoſciamus luteus: optima ſpecies (quæ vulgo Canaſter vocatur) uncia 1 dat extracti aquoſi primi drachmas 4 $\frac{1}{2}$; ſpirituoſi ſecundi drachmas $\frac{1}{2}$ reſidui drachmam 3; vice verſa ſpirituoſi primi drachma 1 $\frac{1}{2}$, aquoſi ſecundi drachma 3 $\frac{1}{2}$. Extracta ſprituoſa ſunt fortiora & viridia, & habent in partibus reſinoſis vim narcoticam & ſtupefacientem: Extracta aquoſa ſunt ex flavo fuſca & amara; & in partibus gummoſis vim habent medicam optimam anodynam, utilem in aſthmate; Liquida deſtillata ſunt inodora & inſipida. Diſtinguimus vero maxime in pulverem Tabaci ut errhinum & fumum, qui inter apophlegmatiſmos pertinet. Pulvis vel ſolus vel gratis odoribus ſtipatus, prodeſt pituituoſis & catarrhoſis, a quibus interdum ſumitur, mane præſertim ex cavernulis narium collectum mucum expurgat, torpentes ſpiritus excitat, tetros aëris halitus arcet. At abuſus ſiccat nimis, membranas nervi olfactorii indurat, imo olfactu privat, ophthalmiam exacerbat, memoriam debilitat;

pueris ob teneros nervos minatur convulſiones & tenerioribus omnibus facile hæmorrhagiam narium, hæmoptyſin & phthiſin, gravidis abortum, vertigine idiopathica affectis apoplexiam minatur: Nullis vero plus nocet quam ſiccis & biliofis, quibus interdum coecitatem imo ipſam mortem peperit. Fumus, quo hodie adhuc multi delectantur, ſuas habet virtutes, ubi pituita morborum radix eſt. Hanc enim fundit & excretioni per ſputa & alias vias aptam reddit, glandulas inprimis maxillares emungit, & in morbis frigidis, ſanguine viſcido, catarrhis, doloribus capitis, oculorum, dentium ab abundante ſero, ſalubriter, modo modice fiat, uſurpari poteſt. Helvetius ut prophylacticum in Apoplexia ſeroſa laudat: Diemerbroeck in morbis contagioſis commendat: Neuterus in majori fame; Sydenham in doloribus colicis forma enematis; Dolæus ſuadet obeſis, Simon Pauli hyſtericis, alii contra tineas, cimices & curculiones, ulcera tibiarum, ſurditatem ab exceſſu humidi extollunt. At abuſus maxime in debilitate nervorum & inopia humidi, & exceſſu caloris lædit vehementer, ſitim & famem exſtinguit, ſtuporem & ſomnolentiam inducit, vim ingenii & memoriæ retundit, jacturam dentium parit, imo aliquando Apoplexiam gignit, venerem tardat, lympham nutritiam rapit, adeoque li-

quidum coctioni necessarium. Ceterum, uti, magna est specierum differentia, dum hodie in India orientali & occidentali, imo in nostris agris hæc herba colitur; ita dicti effectus tum noxii tum salutares magis aut minus se exserunt; ubi simul notandum assuetos non esse ab ejus usu severius revocandos. Officinæ habent Syrupum, asthmaticis ex pituita utilem, & oleum infusum, tumores discutiens & membra paralytica fovens.

Thesis XXXV.

Subjicimus regulas diætæticas in usu potulentorum: Generatim notamus, potum parciorem parere immeabilitatem & acrimoniam humorum, quippe ad quam illi ultro tendunt sub motu, nisi perpetuo accedit quod diluit & demulcet: Porro lædere beneficia secretionum & excretionum, febres accendere, & siccis calidisque inprimis nocere. Potus justo copiosior fibras ventriculi flaccidas, menstruum iners reddit cum mora digestionis & corruptela ingestorum, mox similem visceribus flacciditatem inducit, vim internæ coctionis labefactat, circulationem tardat, corpus ad Cachexiam & hydropem disponit. Quod si ille potus copiosior ex fermentatis sit, inebriat, nervorum tremores & imbecillitates parit, & post nocturnas inquietudines postero die halitus crudi-

tatum cum nauſea & vomitu, torpores & cephalalgias relinquit. Qui nequit effugere neceſſitatem bibendi, monendus eſt, ut in initio epulorum parum bibat, aſcendat ſenſim, non incaleſcat ſermonum conflictu, corpus etiam præparet uſu amygdalarum amararum, olivarum immaturarum, braſſica & aliis oleribus.

THESIS XXXVI.

Sumatur potulentorum duplo plus quam eſculentorum: ſi de die ſumantur eſculentorum lb. $1\frac{1}{2}$, potulenta lb. 3 non facile excedant: tantum ſumatur cereviſiæ tenuis & bene defæcatæ vel lb. 1 vini cum binis libris aquæ, plus bibat, qui aſſa edit, quam qui elixa, plus poſt carnes & farinoſa & maxime duriora, quam poſt acida pinguia & flatulenta. Pingues & ad motum ignavi, quantum fieri poteſt abſtineant a potu cujuſcunque generis, inprimis valentioris, nihil inquit Cheynæus vitæ eorum conſervandæ vel protrahendæ efficacius eſt quam pertinax ab omni potu abſtinentia, maxime obeſi hydropi & lethargo ſunt obnoxii ex copia humidi. Hinc nihil magis ſanat illos morbos, quam reſtrictio potus.

THESIS XXXVII.

Nihil nocentius eſt ventriculo cibis onuſto quam copia vini, licet illam juvare coctio-

nem exiſtiment ; nec enim facilius ipſum vinum digeritur, quam illi (ſcil. cibi) digeruntur. Duplo plus digeres ſub uſu aquæ vel cereviſiæ tenuis ; aqua enim convenit omnibus ingeſtis , vinum indurat multa ; aqua eluit & mitigat acria & ſalina, vinum exaſperat ; languidius eſuriunt & lentius coquunt , quibus in cœna vinum in perpetuo uſu eſt , qui mox ipſi ſentient , ſubſtituta aqua plus eſurire & melius coquere. Non ſpiritu nobis opus eſt tam fugaci , ut in vino , plus alit & plus ſpirituum gignit pauxillum carnis bene digeſtæ, quam decuplum liquidi ſpirituoſi. Felix qui ante virilem ætatem vel non vel parciſſime vinum bibit , cui ſenſus diu manent integri & cupidines moderatæ. Plus etiam nocet potio ſpirituoſorum, quæ aquas vitæ nominant , inprimis nautica illa potio vini vicaria ex ſpiritu vini & ſucco immaturorum & agreſtium limoniorum cum ſaccharo & aqua ſub nomine Punſch coaleſcens. Hærent ignea illa & urunt, nec tota avolant & aqua eluuntur. Nihil enim tenacius ignem retinet, quam ſubtile oleum cum ſale ſolidiori. Succi illi acidi immaturi acri halitu laceſſunt, nec fortioris acrioriſque cereviſiæ juſta laus eſt. Illam Nottinghamenſium in Anglia minus ferri ait Cheynæus (optimus in Anglia ſcriptor diætæticus) quam porcinas carnes

pisis incoctas, adeo illam instar visci lentam, tenax quasi emplastrum praebere.

Thesis XXXVIII.

Potum noli cibo praemittere, imo orientem sitim paulatim cohibe, ne torpeat ventriculi officium. Haustus ipse neque herculeus sit, neque parvis & crebris sorbitiunculis absolvatur; ille (herculeus haustus) parit flatus & fluctuationes & omnem digestionem turbat, hic, nisi aquosus sit, cito inebriat.

Thesis XXXIX.

Potus frigidus vitetur post exercitium corporis incalescentis, quia vasa, praegresso calore, expansa subito constringit, & stasin saepe inflammatoriam gignit; vel si sumsisti, statim corpus movere perge, & blandis diaphoreticis, calidisque herbarum infusis errorem corrige.

Thesis XL.

Potus matutinus, meridianus, nocturnus extra cibi societatem sumtus, sanis & bene moratis nunquam, nisi ex longo consuetudinum errore convenit. Tarde coquentibus concedi meridianus potus potest. Mane indulgemus potulenta calida, ut infusa theae & aliarum herbarum. Ubivis notandum est, ventriculum solis fluidis plus gra-

vari, quam iisdem cum cibo ſolidiori permixtis.

Thesis XLI.

Inter pocula potui deſtinata præſtant vitrea, quæ & puriora & frigidiuſcula gratiam ſaporis melius conſervant. Fictilia ex terra paluſtri, putri de mineris interdum participante, confecta, ſimilem laudem non merentur. Metallica, ſi argentea & aurea excipis, aliquid æruginoſi ſæpius potui miſcent, unde gravia ſymptomata nata, (e. g. vomitus, ſpaſmi). Lignea ruſticis relinquimus, quorum rara eſt mundities. Quicquid vero poculorum eſt, nec politum ſatis nec tutum videtur, cœnantes ex uno poculo potare omnes.

CAPUT III.

DE EXCRETIS ET RETENTIS.

Thesis I.

Si primum eſt ſanitatis fulcrum bona alimonia, alterum eſt non minoris momenti, ab impuris, noxiis, ſuperfluis perpetuo re-

purgari, fit utrumque ſub iisdem interni motus beneficiis, quibus partim aſſumta coquuntur & aſſimilantur, ut nutriant corpus, & in diſpendiis ſuis reficiant, partim corrupta, effœta, attrita, opportune ſemper & antequam lædere incipiunt, eliminentur. Patet quanta attentione digna ſit excretorum & retentorum doctrina, ne vel in corpore ſubſiſtat, quod ſalubriter ejicitur, vel intempeſtive ejiciatur, quod ſubſiſtere diutius in uſum & miniſterium corporis debeat. Imo videas imbecillius ſæpe valere, qui aëris, alimentorum, motus, ſomni, aliorumque, quæ ad valetudinis tutelam pertinent, curam ſatis ſollicitam habent: alios minus circa hæc ſcrupuloſos firmiori valetudine frui; id nempe maxime ab excretis pendet, ſine quibus, ſollicita licet priorum legum obſervantia, ad ſtabilem ſanitatem haud ſufficit, imo ſub quibus integris (excretis ſcilicet) legum illarum neglectus non raro noxæ expers eſt. Quid enim damni erit, ſi illa, quæ per diætæ errorem in ſinu corporis mala germinant, ſub vigore excretionum cito exulant? Metuendum parum eſt, ſi cito eliminatur, quiçquid operam coctionis, ſecretionis & nutritionis a natura impenſam turbat.

THESIS II.

Excreta primæ coctionis sunt fæces alvinæ, secundæ lotium, tertiæ materia sudoris & perspirationis. Prima excretio crassa & fœculenta ex subactis cibis residua eliminat; nihil enim assumitur, quod sine fæce & scoriis sit, quod non in se contineat, quæ inepta verti in chylum, excludi ex corpore debeant: altera excretio evoluta sensim per motum vitalem salia & olea massæ sanguineæ, quæ rodere acri stimulo ac placidas circuitus leges turbare incipiunt, sub aquoso vehiculo per renes opportune evehit: tertia excretio fit per cutem innumeris poris tubulisque perviam, tanquam universalius corporis emunctorium, quod minimorum vasorum fluidorumque subtiliora ac nocentiora vitia & ramenta ac tenuissimæ corruptelæ stimulos expellit. Hæ regiæ vocantur naturæ viæ, per quas, quicquid corrupti emergit, provide exturbat. Harum viarum quo plures laborant & nobiliores, eo graviores instant morbi, inprimis febres, quæ plerumque ab excretionibus vario gradu suppressis oriuntur, & vix nisi institutis illis cedunt. Sunt & aliæ viæ per sputa, hæmorrhagias, nata ultro ulcera &c. Sanis tamen non æque naturales & optabiles. Male sibi consulunt, qui excretorios naturæ stimulos ipsi interdum cohibent, &

formæ ac munditiei ſtudio nunc ſudores ſub axillis aliisque locis largius & cum fœtore manantes reprimunt ; nunc rubentis faciei maculis per repellentia incaute medentúr, unde dum externæ elegantiæ litatur, ſqualores ad interiora redundant.

T H E S I S III.

Alvina excretio, quæ primas vias a corruptela & immunditie liberat, & ſegregat ab aſſumtis (cibis) quod corpori conciliari nequit, primum conſideranda in ſuo beneficio eſt. Bene eſt, ſi venter quotidie auſcultat, quem, qui natura apertum habent, haud facile morbis corripi judicat Leonhardus Fuchſius, qui non habent, eos capite plerumque laborare, dyſpnœa, ructibus, flatibus, ſpaſmis, languoribus membrorum, maxime tumere ventrem & circulationem per preſſa abdominis viſcera lædi exiſtimat. Si forte ſunt, qui alvum diu obſtructam impune tulerint, hi plerumque illam impunitatem, quam tamen perennem ſperare non poſſunt, alterius excretionis creſcenti vigori debent, quo, qui carent, a ſalubri inſtituto definitis temporibus, mane & veſperi alvi officium requirendi haud temere recedant, etiam ſine ſtimuli ſenſu tempora illa ſervent, & quocunque ſucceſſu hanc excretionem, donec adſueſcant, moliantur: ſi fruſtra, tunc aliquamdiu a cibo ſicciori

& craſſiori abſtineant, nec niſi mollia & lubricantia cum leni ſtimulo ingerant; vel ſi etiam ſic nihil proficiunt, ad levia ſubinde purgantia, quæ ſine turbis agunt, ut ſalia digeſtiva, aperitiva, mannam, cremorem tartari confugiant. Incipientibus morbis movere alvum jubet Hippocrates vigentibus quieſcere. Sane qui temperanter edunt & carnis modicum, haud facile illo quotidianæ excretionis alvinæ beneficio carent: neque vero hi metuant, ſi aliquando alternis tantum diebus aut ſerius egerunt; nam qui temperanter edunt, parum etiam fœculenti colligunt, & ſæpe indicium eſt læſæ temperantiæ plus juſto egerere ex ſtimulo corruptelæ ingeſtorum, unde morbi longi & nervini ſenſim oriuntur.

THESIS IV.

Quicquid alvo ſecedit nec liquidum nec durum nimis ſit, ſed mediæ, mollis & figuratæ conſiſtentiæ, molis multæ, ponderis pauci, vix trientem libræ de die excedentis. Keilius uncias 5 communiter, Sanctorius uncias 6 per diem hac via ſecedere ſtatuunt. Miratur circa hæc Noguez, Keilium minus pondus notare, cum in frigidiori regione major ſit excretio alvina. At patet diſcriminis ratio, ſi verum eſt, quod Dodartus ſcribit, experimenta Sanctorii in voracioribus facta eſſe. Quibus per alvum

dura & ſicca exeunt, his puta vel magnos labores, vel generoſos potus, vel jejunia, vel etiam rationem motus periſtaltici anſam dediſſe; unde chyloſa ob longam aſſumtorum circa lactea moram plenius emunguntur, & parcius eſt ac ſiccius quicquid ad alvum deſcendit. Iis contra exeunt tenuia & copioſa, qui largiter & ultra vires coctionis ingerunt, unde cruda ſub ſtimulo corruptionis velocius dejiciuntur. Hos ſua intemperantia citius emaciat, quam alios victus parciſſimus. Non obſcure docet alvus, quantum & qualem cibum aliquis ſumſerit, viribus coctionis auſcultantem an rebellem; quicquid crudi eſt irritat ſub languente coctione, nunquam alit; qui fibras habent flaccidas & ſeroſos humores, illi etiam ſub copia cibi conſumuntur; hinc imbecillis nil detur quam lac, ova, tenuia juſcula, teneræ carnes, mollia pulmenta, neque id quidem niſi ſub fame & moderato motu. Tumet abdomen infantum ſub cura matrum & nutricum, hinc emaciantur, ſub crudis & copioſis ejectionibus. Laudant fruſtra temperantiam, qui ſedentes diu & libris impalleſcentes, nauſea, flatu, torminibus ventris & capitis laborant, plus eos ediſſe, quam in illis virium inopia coqui potuit, convincit alvus tenuis & copioſa.

Thesis V.

Tempus, quod eſt inter cibum ſumtum & ejectionem alvinam fœculenti ex eo cocto reſidui, differt ſine dubio pro robore coctionis & indole ciborum. Cheynæus crebra experientia ſe edoctum dicit, hos, quibus nullus dies ſine hac excretione alvina tranſit, fœculenta egerere ex cibis, quos die tertio ante ingeſſerunt; hos vero, quibus alternis diebus laxatur alvus, egerere recrementa ex illis cibis, quæ ſexto die ante ſunt ingeſta. Videmus certe temperantes, ſi aliquando plus indulſerunt ciborum, proximis binis diebus valere ſatis corpore & animo, tertio demum inquietos & triſtes capite laborare, inter crebriores etiam alvi dejectiones. Unde illud inprimis diſcimus, bonos & ſiniſtros effectus, cibis vel pharmacis noviſſime ſumtis ſæpe citra rationem imputari.

Thesis VI.

Excretio per lotium non minus ſtatum valetudinis illuſtrat. Sobriorum lotium inter moderata exercitia maxime poſt ſomnum eſt tenue, limpidum, ſtraminei vel ſubflaveſcentis coloris cum ſedimento albo, levi, æquali, in medio aſſurgente, quale notat probam menſuram ingeſti, bonam coctionem, adeoque corpus pravis humoribus non

onuſtum. In iis, qui nec arctant potulenta nec extendunt nimis, ſolent ſecundum Keilium per horas 24 emittere lotii libras 2 & uncias fere 6; ſecundum Sanctorium uncias 16, nec multo plus habet Dodartus, (Gallus) pars circiter potulentorum tertia eſt. Dubites major copia urinæ ſit, an materiæ perſpirabilis: Sanctorio urina ad perſpirabile eſt ut 3 ad 5, $2\frac{1}{2}$ ad 5: verum Liningii experimenta in America ſeptentrionali ad eundem gradum aëris ac tempeſtatum quam Venetiis inſtituta, rem ita limitant, ut hyeme urina ad perſpirabile ſit ut 5 ad 3, æſtate 3 ad 5, autumno 3 ad 4, adeoque fere par ratio ſit toto anno vel certe 9 ad 8. Luculentum eſt calido tempore plus perſpirari, frigido plus mingi.

THESIS VII.

Secedit varie urina ab indicio ſuo ſalubritatis. Viſcera debilia & torpor coctionum, unde cruditates, pituita, frigus, apparent ex urina tenui, ex colore, niſi a potulentis ſit: ſpumoſa quoque debilium urina eſt, quæ agitata diu ſpumam ſervat, quia in ea omnia ſunt viſcidiora. Poteſt talis homo adhuc ſanus videri, at inſtabilis illa ſanitas eſt & ruenti proxima: urina craſſa rubra, ſaturata notat vehementiam interni attritus & penuriam vehiculi attrita evehentis: celerior craſſi ſeparatio bona eſt, pejor

lenta, pessima nulla. Talis in acutis summa cruditas est, sine signo coctionis. Si separatio fit per sedimentum, hoc crudum dicitur, si refert farinam crassam, pejoris ominis si squamas, pessimi si furfur. Crocea urina ictericos notat, viridis & nigricans atrabilarios, pinguis cum membranula oleosa cærulea variegata scorbuticos, fœtentissima gangrænas internas, insulsa vires pene succumbentes.

Thesis VIII.

Plus affligit excretio suppressa lotii, quam alvi, hinc natura alvum raro solvit, illud vero lixivium oleorum & salium alcalinæ acrimoniæ proximorum crebrius longe per diem ejicit, quippe mora nocentius, nunquam parca urina eluendis corruptis & acrioribus in sanguine sufficit; hinc si parcius exundat lympha acrior retenta, erodentes defluxiones, doloresque artuum vagos & fixos parit, nunc tremores nervorum, convulsionesque. Plena Ischuria brevi febres accendit, & delato ad teneram cerebri fabricam stimulo, per vertigines, sopores, convulsiones, denique apoplexiam ad mortem ducit. Magna hinc cura omnibus incumbit, maxime senibus ac debilibus, ne lotii excernendi stimulos supprimant, quippe sensim ignaviores & in paralysin tumentis vesicæ, hydropem, tabem & alia mala desinentes

nentes. Cui igitur urina plus minusve subsistit, is non cunctetur surgere & modice ambulare, qui situs motusque secretioni renum momentum addit: utetur quoque, si opus, iis, quæ renes facilius permeant; fragis, asparagis, oleribus, infuso theæ; decoctis acidulatis, fomentis etiam specierum diureticarum hypogastrio admotis, clysteribus, nitrosis &c. at vix hæc, nisi pejor gradus suppressi lotii exigit. Minus de his sit sollicitus, cujus parcior urina, vel penuriæ potulenti debetur, vel aliarum excretionum augmentis.

T h e s i s IX.

Excretio nimia lotii lædit per jacturam liquidi, immeabilitatem residui & tabem, quæ corpus alimento suo defraudat, velut interdum lac celeri & spontaneo coagulo serum fundit; ita multorum sanguis ob imperfectam in suis partibus miscelam liquescit facile, & hoc secessu aquosi, ut in hystericis fit, relinquit stases immeabiles. In aliis contra tam tenax miscela est, ut parum sub majori etiam motu mingant vel sudent. Prior status facile in Diabeten transit, cujus una species aquosum insipidum, inodorum per vasa renalia spasmo constricta; altera turbidum, crassum, chylosum per eadem (vasa) nimis relaxata eliminat. Patet hic celerem tabem sequi, ibi certe crass-

ſius remanere & ſimul acrius, quia nulla fere dilutio fit, hinc cum ſiti; quæ omnem craſſitiem & acrimoniam comitatur, obſtrui vaſa, anxietatem ab infarctu; febres & alia mala congeneris naturæ naſci. Minus vero metuimus, ſi copia lotii tunc eſt a copia potulentorum, vel uſu diureticorum. Licet conſtet, illorum quoque abuſu laxari vaſa renalia, & tonum ſecernentis organi perverti, ac ſenſim fores iisdem malis aperiri. Juſtius excuſamus profluvium copioſi lotii, ſi oritur diminutis aliis excretionibus per alvum, ſudores vel perſpirationem.

THESIS X.

Sudor non eſt excretio naturæ in perfecto ſtatu ſanitatis; (nemo perfecte ſanus ſudat, ait Sanctorius;) nam raptu promiſcuo cocti crudique œconomiam corporis turbat (certum ad tempus) ſaniſſimi inter magnas corporis exercitationes vix ſudant, debiles ad minimum motum, imo in ipſa quiete lecti; ut phthiſici, qui nunquam niſi repreſſis ſudoribus convaleſcunt. Oritur autem ſudor vel a copia humorum tenuiorum (perfecte ſanus non habet copiam humorum) vel laxitate vaſorum cutaneorum; vel vitio motus, nunc languentis nimis nunc intenſioris; nempe languens motus, viribus fractis, nequit attenuare ſatis, vel alia quam ſenſibili forma expellere: unde ſudor

frigidiusculus relaxatis extremorum vasculorum sphincteribus. Motus vero intensior rapit etiam aliena ad partes corporis relaxatas, sub tali secessu serosi inspissat sudor; & immeabili humore relicto inflammat. Neque vero negamus: in febribus inprimis acutis sæpe cum levamine & crisi sudores diffluere, quod satius sit corpori, ab infesto crudi humore, qui aliter non cedit, tanquam majori malo si remanet, liberari; vimque fieri extremis meatibus pro transitu distentis: Male alioquin perspirationi succedit; vel se sociat sudor.

THESIS XI.

Summum in repurgando corpore præsidium sanitatis est perspiratio insensibilis quo major illa est, eo plus valent coquendo attenuandoque corporis vires, & ab excrementitiis liquidis; quæ licet tenuissima, plus crassis ponderant & nocent, tanquam majori onere liberant. Omnia corpora in quibus viget bona perspiratio, non egent facile venæ sectione & purgantibus. Male, dum de evacuatione sensibili nimis cogitamus, præsidium insensibilis emittimus; citius tutiusque imminens morbus ex læsa perspiratione, sub qua ille incipit, quam læsis functionibus, inter quas jam adolevit, aut ex vita antecedente, multum sæpe neglecta, cognoscitur. Eo plus autem reten-

tum perſpirabile lædit, præ aliis retentis ſenſibilium evacuationum, quod tenuior ibi ſit & diffundi aptior vis lædendi, & hinc natura fœcibus alvinis & lotio amplam ſatis moram in corpore, at perſpirabili conſtanter exhalanti nullam indulgeat, facile in graves morbos irrumpit retentum perſpirabile, niſi paulo poſt perſpiret auctius, vel ſenſibilium evacuationum commoda non nihil levent: nimirum perſpiratio materiam expellit omni excretioni alterius generis communem vel propriam ex corruptis liquidis tenuioribus & detritis partibus ſolidis; quæ quidem poſterior expulſio per aliam quamcunque vix vere compenſatur.

T H E S I S XII.

Corporis perſpiratio non eſt omni hora diei æqualis, quippe a cibo parcior, poſt coctionem cibi & miſcelam chyli cum ſanguine attritumque a circulo vitali largior, poſt conſumtionem & difflationem parciſſima. Sanctorius ad libras 8 circiter aſſumtorum computat perſpirabile intra horas 24 ad libras 5. In Italia adſcendit plerumque ad uncias 50 ad 60: in Britannia intra uncias 31 ad 41: in Batavia intra uncias 46 ad 56. Ita Keilius ingeſta ad perſpirabile computat ut 8 ad 4. Sanctorius ut 8 ad 5. Tempore ſumti cibi major eſt actio ad officinam coctionis,

hinc minor motus ad locum perſpirationis, poſt peractam coctionem vaſcula cutis turgida copiam habent perſpirati meabilis, at deinde cum velocitate & fluiditate humorum decreſcit perſpiratio. Hiemalis perſpiratio minor eſt æſtiva, & longe quidem hæc excedit judice Keilio; nocturna perſpiratio duplo major Sanctorio habetur quam diurna, minor interdum Keilio & Gortero. Sane in calidioribus regionibus diurna cedit nocturnæ, hæc illi in frigidioribus. In multis hic litem dirimit ſomni menſura & tempus: nam qui ſtatim a cœna dormiunt primis horis ſeptem, perſpirant parum; ſi hora undecima ad horam matutinam octavam dormiunt, incidunt in tempus maximæ perſpirationis. Semper diſcrimen perſpirationis eſt pro aëris temperie, corporis robore, aſſumtorum copia, exercitationum gradu; quo remotiores ab impulſu cordis ſunt partes, eo exhalant debilius, niſi vel majores ſuccurrant motus muſculares, (ut in extremis) vel fomenta applicentur, a quibus tamen in impuro corpore etiam cruda alliciuntur & reſtagnant.

THESIS XIII.

Lædunt maxime perſpirationem:

1*mo* *Dolores*, qui ſpiritus in opere excretionis cutaneæ neceſſarios partim conſumunt, partim aliorſum derivant.

2*do* *Unctiones* cutaneæ, cutis meatus obstipantes, & quibus olim a balneo nimiam perspirationem cohibebant. (Athletæ ante luctum balneo & post illud unctione utebantur.)

3*tio* *Frigus*, maxime nocturnum & dormientium; quia siccando stipandoque halitus reprimit, & cutaneos meatus noctu plus patentes, coarctat. Robusti tamen plus inter exercitia hiemalia perspirant, quia versus vasa externe constricta fortior attritus; hinc major ob consumtionem in iis alendi necessitas.

4*to* *Jactationes* inquietæ in lecto, quæ corpus relinquunt turbata coctione, crudis onustum.

5*to* *Naturæ* opus in aliis occupatum, sub coctione ventriculi & viscerum minus perspirat corpus, maxime a victu viscidiori, uti e. g. ostrearum, quæ non tantum perspirant minus, sed & aliorum ingestorum perspirationem impediunt. Ita naturam avertit alia major sensibilis evacuatio, inprimis alvina, quam siccare cutem Hippocrates ait. In diarrhœa quoque & vomitu semper perspiratio parcior, & maxime aliquot horis ab usu purgantium & emeticorum. Refero huc viribus privatam naturam, ut in morbo, senectute, vel post intempestivam venæ sectionem, vel post omissa consueta exercitia corporis, vel etiam

ſub oneroſo amictu. Refert etiam hic Sanctorius nimiam robuſtorum abſtinentiam a coitu. Atque a dictis cauſis cavere jubet diætetica; dum natæ exinde noxæ læſæ perſpirationis in partes tum principes corporis, tum miniſtras redundant. Circa organa reſpirationis tuſſim ab adiapneuſtia (i. e. læſa perſpiratione) natam fruſtra negat Keilius. Nata etiam hinc alia mala ſunt (a ſuppreſſa perſpiratione) in capite apoplexia, in corde palpitatio, in hepate polyæmia, in utero ſuffocatio, in articulis arthritis & podagra, ulcera denique livida, ſtigmata gangrænoſa, inprimis tunc læduntur hydropici, in quibus lympha extra vim circulationis & perſpirationis poſita largius reſtagnat.

THESIS XIV.

Augetur perſpiratio, 1*mo Ab oſcitatione & pandiculatione*, quarum illa auctam pulmonis, hæc muſculorum actionem notat: illa (oſcitatio) liquidi nervei a cerebro, hæc (pandiculatio) ſanguinis in venis extremorum lentioris majorem ad cor derivationem indicat.

2*do A balneis*, quæ cutem laxant & excretoria dilatant; hinc ad ſiſtenda alvi profluvia ſuadentur. Poſtulant tamen ſimul cautionem in præparando perſpirabili, ne

crudis & ad perſpirationem ineptis extrema oppleantur.

3*tio* *Ab exercitiis*, quæ ſimul præparant perſpirabile, & actionem cordis, ſi languet, ad extrema intendunt.

4*to* *A diaphoreticis* & *theriacalibus*, quæ ad vaſa cutanea moderato uſu determinant. Ceterum perſpiratio provide aucta diſſipat ſalubriter attenuata, & tumores diſcutit, ſæpe in lentos ſcirrhos tranſeuntes, maxime hypochondriacis medetur inter frequentia balnea & victum humidum, quæ juſta eſt incolarum in calidis regionibus medela.

THESIS XV.

Utraque evacuatio ſenſibilis & inſenſibilis tollit quidem copiam, & priſtinum pondus reſtituit effectu tunc ſalutari, ſi cocta cum levamine exeunt, h. e. inutilia corpori & inimica; effectu autem noxio, ſi cruda rapit, h. e. corpori adhuc utilia, ante exhauſtam ſalubritatem ſuam: illa evacuatio (quæ cocta ejicit) reficit, hæc debilitat, uti fit in evacuatione ſenſibili, per ſudores viſcidos, ſputa tenacia, lotium craſſum ſub diminutione virium: idem fit in evacuatione inſenſibili, quæ in vario animi corporisque ſtatu turbulentior ac cruda ſimul auferens fatigat corpus & exhaurit, ut minoris tum ponderis tum virtutis evadat. Momenta ſunt conferenda coctionis & expulſionis. Dubium

non eſt, poſſe nimis intendi perſpirationem motu & calore; hinc allici cruda in locum perſpirabilium, vires nimia conſumtione cadere, duritiem & ſcirrhos extremorum ab infarctu craſſi poſt tenuia diſſipata naſci, ſurgente jam febre pro reſolutione & expulſione, cui, qui torporem inducit, aut draſticis pugnat, ægrotum majori periculo exponit. Semper hic notandum eſt, non unice noxium & ſuperfluum eliminari, ſed & utile ac corpori longioribus miniſteriis ſalutare.

THESIS XVI.

Patet, limitandam eſſe laudem perſpirationis, quia tanta diſpendia, quæ Sanctorius ad uncias 40 una nocte numerat, dubio ſæpe ſucceſſu reparantur; hinc ii, in quibus reparantur, in magno quidem ſanitatis vigore perſiſtunt, at & in majori periculo verſantur inter cauſas, quæ ſæpe in vita humana perſpirationem lædunt. Tutius valet corpus, quod minus perdit, nec tantis eget ſuppetiis. Qua non virtute coctionis opus, ut, quæ ſic pereunt, ſine vitio reſtituantur? Hinc boreales populi plus valent, qui perſpirant moderatius: Major ut plurimum in frigido climate agilitas eſt, fides valetudinis & virium conſtantia. Semper debiliores ſunt, qui frigori, vias cutaneas coarctanti, non adſueſcunt. Frigore Reaumur prorogavit vitam inſectorum, &

ſpem illam ad vitam humanam applicat. Plus vitæ noſtræ æſtas demit, quam hiems. Opus eſt ut perſpiret cutis, non ut in tepidario ſit, & rivos humorum vitalium cum viribus effundat. Ipſe Hippocrates imbecilliores vocat, qui valde, robuſtos, qui moderatius perſpirant; ut adeo ſalutaris perſpiratio limites poſtulet. (Sit ſine defraudatis viribus.)

Thesis XVII.

Inter has regias ſenſibilium & inſenſibilium excretionum vias, non ſunt prætereundæ viæ, quas natura interdum, licet lege non tam perenni, aperit. Ipſe huc ſanguis pertinet, qui per dilatata vaſa ex variis paſſim corporis locis cum commodo elabitur, per ipſos aliquando poros cutaneos, per canthos oculorum & alia inſueta loca, ob plethoram expanſa, & ubi excretione levantur, iterum collabentia. Viri & feminæ bene & ſub moderato victu valentes, poſt terminum incrementi ſingulis menſibus ſenſu quodam laſſitudinis & aucti ponderis laborant, & egent excretionum ſubſidiis: Feminæ quidem magis ſedentariæ tunc per fluxum menſtruum levantur: Viri in quibus vita exercitata ſuperfluum magis diſſipat non infrequenter per majorem certis menſis diebus lotii fluxum, ut Sanctorius notat, interdum etiam per hæmorrhoides levari ſolent.

THESIS XVIII.

At velut retenta lædunt, quæ excernenda erant, ſic pariter lædunt excreta, quæ retinenda erant, hoc ut ratione alvi, lotii, ſudoris vidimus, ita hic attendi videntur:

1*mo Excretio nimia ſanguinis*, quia vires proſternit, pallorem relinquit, ſpirituum ſecretionem & munera lædit; quid enim horum non pendet a ſanguine? Deficit tunc utrumque motus inſtrumentum πνεῦμα καὶ αἷμα (ſpiritus & ſanguis) labaſcit vigor omnium coctionum, accumulantur cruda, creſcit vaſorum inertia, collapſus majorum vaſorum tumentibus minoribus & languente circulatione.

2*do Excretio nimia ſalivæ*, lædit primæ coctionis commoda; par erat deglutire illam & ſubigere ingeſta, ipſum quoque inanitum ventriculum vi ſaponacea detergere: Deinde ſanguini cum chylo remixtum elaboratius menſtruum nova in ore ſecretione præbere. Mala exſcreandi conſuetudo, ex penuria liquidi tam demulcentis, ſolventis & lubricantis, ſitim parit, ſiccitatem atramque bilem. Unde Hippocrates dixit, melancholicos vel fieri vel eſſe ſputatores.

3*tio Excretio nimia bilis*, quæ læſa chylopoieſi ignaviam alvi parit & tumorem abdominis, ſequuntur debilitas, frigus, pallor mictus pallidi lotii, leucophlegmatia,

ſequitur corruptela, ingeſtorum ſpontanea, cui bilis non reſiſtit, (quod & de excretione nimia lymphæ pancreaticæ & inteſtinalis valet:) Peſſimæ hinc ſunt Diarrhœæ, quæ cineritiæ vocantur, & per quas lympha ſalivalis, gaſtrica, pancreatica, meſenterica, hepatica, perditur, ſequente ſiti, ſiccitate, maraſmo, dum ſanguis jam immobilior ſtagnat, & corpus maraſmo (atrophia) exhauſtum occumbit.

4*to* Denique *Excretio nimia ſeminis*, cui comes eſt laſſitudo, major ſiccitas, imo tabes dorſalis & convulſio ob affectos nervos, inprimis huc referunt dolores membranarum cerebri & maxime ſenſuum hebetudinem, fatuitatem, ubi ſola ſpes eſt in bono alimento, moderato exercitio cum pediluviis & cautis frictionibus.

CAPUT IV.

DE MOTU ET QUIETE.

THESIS I.

Non minoris quam cibus potusque ad ſanitatem momenti eſt motus cum alterna quiete. Præceptum divinum in ſudore vul-

tus panem comedere, non pœnam tantum peccati irrogatam, ſed & legem ſanitatis ſub juſta exercitatione comprehendit: Neque enim ſobrie vivere ſub juſtis etiam excretionibus ſufficit ad ſanitatem; niſi proba exercitatio accedit.

Thesis II.

Quæ motus in corpore origo ſit, & cur certa tantum ejus ſpecies mentis imperio auſcultet, non facile ex cognita muſculi fabrica filum mechanicæ demonſtrationis præbet? Nec opus eſt ad aliam quam ſolas mutui commercii inter animam & corpus leges a conditore primum ſtabilitas & ſola obſervatione cognoſcendas reſpicere.

Thesis III.

Ita tamen non omittimus in ſcrutinio muſculi ratione motus voluntarii fibras minimas cylindraceas ſigillatim membrana propria, conjunctim communi tectas & in faſciculos collectas ab arteria & nervo pervadi. Illa (ſcilicet arteria) in minimos ramuſculos, tenuiora per gradus fluida vehentes, ſenſim diviſa, abire multis videtur in fibrillas muſculi longitudinales, velut nervus propaginibus ſuis in transverſales. Id certe liquet, tam arteriam quam nervum ad motum illum muſcularem neceſſario requiri, cum alterutro vaſe ligato pereat ille motus,

liberato reſtituatur. Ita etiam liquet, vim illam novam, quæ naturali influxui in arteriam & nervum pro motu muſculari voluntario ſupervenit, a ſuperpondio liquidi nervei in æquilibratas muſculi vires ſub inſtinctu voluntatis vero ſimiliter pendere. Neque vero ille motus ſecundum Baglivium undulatorius eſt, ut patet ex mollitie carnium, & contorſionibus inflexionibusque quippe quæ ſuffocant motum undulatorium, nam chordæ laxæ non tremunt ſed tenſæ.

THESIS IV.

Omittimus hic motus naturales & externos ab actione cordis arteriarum & viſcerum, vel miſtos, uti ſunt reſpirationis & maxime motus corporis, vel ab interno nixu voluntatis, vel externo impulſu natos. Ratione noxæ & ſalubritatis conſideramus: Utrinque attendimus ad motus nunc moderatiores, nunc languentiores, nunc vehementiores: Ad motum voluntarium moderatiorem pertinent oſcitationes, pandiculationes, ambulationes; ad vehementiorem, ſaltus, curſus; vociferationes, inflationes (tubarum) ponderumque elevationes &c. (ludere pilis, exercere, digladiari;) ad motum externum moderatiorem pertinent frictiones, geſtationes vectionesque in lectica, rheda, aut cymba; ad vehementiorem equitationes, (motus in gyrum) & alia: languentiorem

hic nunquam commendamus, nisi in excessu interni motus, ab ipsis morbis nato.

Thesis V.

Motus moderatus; qui humores intra vasa contentos alterna nec tamen violenta ratione comprimit & relaxat, ideo imprimis prodest, quod partes liquidorum a mutuo contactu constanter divellat; perpetua situs mutatione cohæsionem molecularum impediat, fluxilitatem servet; sine impedimento distribuat & trajectu per vasa figurata crudos humores mutet, (crudi vocantur, qui adhuc habent naturam ingesti) coctos ad indolem inquilini humoris redactos, regula circulationis & functionibus suis obeundis obsequentiores reddat cum augmento naturalis caloris; digestionis; secretionisque. Certum est, cum talis motus corpora repurget, lentescentes intra vasa humores atterat, ad excretionem sensibilium & insensibilium præparet; semper exercitatis sanguinem elaboratiorem esse quam quiescentibus; spiritus copiosiores; vegetiores & magis elasticos, vires robustiores, perspirationem salubriorem, corpora mole & sensu leviora, hinc non plus præsidii in morbis chronicis quam a motu pendere, qui vel solus digestiones vitiatas & Cachexias multas tollat, diluentium & solventium actionem egregie juvet; imminentes morbos arceat, quicquid

impuri miasmatis ingreditur cito expellat; & omni medicina præstantior optime sanitatem corporis & vigorem animi conservet. Seorsim nota, motum alterum, qui voluntarius est, (ut ambulatio) plus spirituum consumere, at etiam humores plus assimilare; unde nova spirituum genesis. Alterum, qui externus est (ut frictio, vectio) absumere minus spirituum, at & minus assimilare humores; unde Sanctorius ad perspirationem non æque laudat vectiones quam ambulationes.

Thesis VI.

Docet labor hominum, quid singulis artubus roboris accedat. Quibus alia membra gracilia sunt, iis tamen torosa & nervosa illa fiunt, quæ exercentur, quam firma crura & femora iis sunt, qui lecticas portant, quam firmi lacerti, quam lata pectora iis, qui remigia tractant? Cuivis membro exercitio copiosior & elaboratior sanguis, spiritus subtilior, plenius nutrimentum, vires firmiores accedunt. Ungues sæpe resecti promtius recrescunt, capilli crebro tonsi firmiores stirpes emittunt.

Thesis VII.

Motuum salubritatem intra hos limites concipe:

1*mo* Ut ultra laſſitudinem levem vel exortum leviſſimi ſudoris haud facile proſequaris. Recte Sanctorius, qui ſudores hic cavent, iis juvenilem faciem diu promittit.

2*do* Ut nunquam eos ſtatim ſumto cibo ſed digeſto ordiaris: Nam hic corpus bene & cocta perſpirat, ibi male & cruda.

3*tio* Ut motus ſolitos præferas inſolitis, adeoque ambulationem reliquis omnibus. (Sanctorio ſaluberrimi motus ſignum eſt, bene peracta prima & ſecunda coctione, bis in die ante cibum ad conſuetum pondus redire.)

4*to* Ut lente & paulatim motum omnem increſcere permittas, qui propterea ſit ab initio levior & debilior, in progreſſu celerior & expeditior, ſique fieri poſſit, æquabiliter per omnes partes corporis diffuſus, & cum oblectamento animi conjunctus. Adde nunquam calentes ab exercitio partes ſubitam refrigerationem admittere debere. (Etiam hoc adde, optimum motus tempus eſſe mane & veſperi, dum tepet aër frigidiori propior.)

THESIS VIII.

Sigillatim nota, 1*mo Motum matutinum* plus extenuare, caput levare, alvum ſolvere, ſpiritus agiliores reddere, præſertim obeſis torpidisque convenire.

2do *Motum vespertinum* ob aërem sub crepusculo frigidiorem & impuriorem, iis, qui imbecillæ valetudinis sunt caute capiendum esse.

3tio *Motum æstivum* majori per poros patentiores consumtione citius debilitare, quem inprimis sub sole metuant infirmi & catarrhis capitisque doloribus obnoxii.

4to *Motum hiemalem* tectis corporibus multum prodesse; negligentius tectis instare catarrhos, febres, pleuritides & alia mala.

5to *Motum vernum* & *autumnalem* ortui ulcerum favere, in corporibus impuris, (ob serum acre, motu ad exteriora pulsum, hieme latens) qualem Schreckius vidit, qui post ambulationes vernas horis matutinis copiosas semper in pedibus maculas accepit.

6to *Motum ante pastum* excitare appetitum, dissipare superflua, excretiones per cutem & renes juvare, & reparandi chyli necessitatem augere. Hinc Hippocrates laborem voluit præcedere cibum. At notemus, aliquid intervalli inter hunc motum moderatum & ipsum pastum requiri, ut calens corpus & non nihil defatigatum redeat ad pacatiorem motum. (Monet Sanctorius, corpora a motu illico pasta, gravari ingestis, & minus perspirare.)

7mo *Motum a pastu* qui calorem & spiritus a ventriculo ad exteriora avocat, non solum

impedire coctionem, sed & crudum adhuc chylum præmature in sanguinem rapere, inprimis litteratos, qui metu mali hypochondriaci intempestive post pastum moventur, scabie & abscessibus affligi.

8*vo Motum insolitum*; ut in rheda, lectica, navi, facere nauseas, vomitus & coctionem turbare donec adsuescant. Ubi simul bene observamus, adsuetos etiamsi senes & invalidos, melius ferre exercitia, quam inassuetos, licet juvenes & robustos.

Thesis IX.

Non minor noxa est immoderati motus, quam moderati salubritas. Immoderatus enim actionem solidi in fluidum & attritum mutuum nimis augens venas evacuat cito; hinc cordis & arteriarum actionem nimis intendit, tenuia dissipat, corpus emaciat, pingue, articulos musculosque suo motu lubricans & demulcens, ipsamque medullam ossium exhaurit, cum sudoribus coctum & crudum expellit, contenta circa officinam chyli rapit velocius intro ante absolutam coctionem, quæ motum moderatum requirit. Notamus inprimis circa fluida, quod gelatinosum exuat naturam balsamicam, & salia in iis antea mitia & involuta reddantur acria, volatilia, urentia, alcalescentia; unde corpus ad celeriorem putredinem disponitur. Præ reliquis vero fluidis agitata

bilis pejus & celerius corrumpitur. Pronum præterea eſt intelligere diſſipata tenui parte humorum, craſſius magis figi, & vi caloris motusque magis compingi; hinc neceſſe eſt, infarctus maxime inflammatorios inprimis circa lateralia diſtenta naſci cum pulſu duro, ſiti æſtuque. Pejor vero motus in cacochymicis eſt, ut hydropicis, empyicis, tabidis, in quibus ſæpe imprudenter ſuadetur: Unde vero patet, obrui magis corrupto humore & per interna debiliora vaſa ruente, pulmonem & reliqua vaſa velociori & majori impetu transferri, unde anxietates ad ſuffocationem, infarctus minimorum, tremores, rupturæ, hæmorrhagiæ. Circa ſolida etiam adhuc integra illud notamus, obliterari minima & ſenium præcipitari, quod in univerſali fibrarum rigiditate conſiſtit, hic præmature aucta. Vita hinc laborioſa, judice Bœrhavio, muſculos fere totos in tendines, hos in cartilagines; hæc in oſſa mutat. Valet illud vulgare in reliquis unam horam in exceſſu motus facere poſſe, quod ſæviſſima peſtis.

THESIS X.

Circa hæc notamus, corpora compacta, muſculoſa, phlegmatica facilius ferre motum, quam mollia, gracilia & in affectus mœſtitiæ & timoris prona, in his enim jam olim Hippocrates frictiones & palæſtras vi-

tuperat. Plus etiam cavere magnum motum debent hæmoptoici, hernioſi, calculoſi, hydropici, tabidi, procidentia uteri vel inteſtini laborantes, qui omnes facile a magno motu in mictus cruentos & dolores lumborum incidunt, veluti etiam podagrici hinc paroxyſmos ſuos accelerant, vel remittentes exaſperant. Maxime vero motus nimius nocet ſub ſpirante vento; nam velut a vento perſpiratio inhibetur, ſic a motu retentum perſpirabile magis accreſcit, quod tamen de otioſis magis quam adſuetis valet.

THESIS XI.

Poſt motum magnum & immoderatum maxime cavendum eſt:

1*mo* Ne ſtatim edas & multum, quia cibus, qui tam cito non reſtituit amiſſum, gravat ventriculum ſuis jam adminiculis coctionis magis deſtitutum, expreſſo nempe tenui reliquis compactis: Pauxillum tamen edere, quod bonum & eupeptum eſt in hoc ſtatu corporis ſuppetiis egente, non plane improbamus.

2*do* Ne poſt talem motum ingredi aquas & natare velis, quia craſſa in extremis jam hærentia frigore magis figuntur & lethales ſubinde obſtructiones pariunt.

3*tio* Ne aërem vel potulenta frigida admittas, quippe æſtuanti ex motu corpori valde noxia.

4to Ne coeas cum femina, quia ad coitum requiritur corpus abundans viribus non exhauſtum, & aliis diſpendiis jam ferendis impar.

E contrario convenit in motu immoderato verſari mox in aëre moderate calido, bibere Infuſum Theæ vel Theæ formæ, aliquid etiam cibi tepidi eupepti & acidiuſculi ingerere; inter hæc vero quieſcere imo etiam dormire, ita intra horas 12 ſequens coctio & perſpiratio damna motus ſarcit. Sunt etiam qui uſum ſpiritus vini poſt majores motus ſuadent, clariſſimus Berens ſartam in caſtris valetudinem ſuam tribuit, quod poſt equitationes & magnos motus prius potu aquæ vitæ aniſato uſus ſit, quam potu ordinario. Quod nec nos improbamus ſi caute & modice fiat. (Siſtitur vis ſudandi per ſpiritum vini.)

THESIS XII.

Alterni motus & quietis magna neceſſitas eſt, utriusque nimis protracti magna noxa. Si ſolum infantem in utero excipimus, ſemper ex ſitu corporis diu eodem naſcitur immobilitas, velut Anchyloſis, ſi diu membrum flexum tenetur. Partes per ſe contractiles, ne nimis cohæreant crebro motu extendi debent. Quod velut in motu jam determinavimus, ita nunc in quiete. In morbis quidem acutis etiam protracta quies convenit, at in plerisque chronicis eo magis

nocet, ob vitium inde natum lentæ circulationis, quæ (lenta circulatio) retardat diſtribuenda, retinet expellenda; corrumpit retenta. Ad ipſum motum partes ineptiores reddit: Nam ut fluida ad concretionem per ſe prona, lentorem inde ac ſtaſin; ſic vaſa laxitatem & inertiam, juncturæ articulorum immobilitatem accipiunt, & accumulatis cruditatibus corpori majus pondus animo major pigrities & ſtupor naſcitur, ſpirituum ſecretio & influxus minuitur; unde obſtructiones liquidorum in lateralibus vaſis & cellulis, ubi minor vis propellendi cum frigore & lentore oriuntur. Cum enim totum corpus vaſis & cellulis conſtat, facit minor in his elater, ut partes in ſe lentiores, velut medulla, pinguedo, mucus in ejuſmodi celluloſo contextu magis accumulentur. Patet in his corporibus catarrhos, rheumatiſmos, calculos, ſcorbutum, ſcabiem, podagram, malum hypochondriacum &c. crebro naſci, quæ mala fere nunquam exercitatos invadunt.

THESIS XIII.

Exercitia corporis & animi merito ſunt conjungenda. Hæc etiam magis (exercitia animi,) licet inſenſibili ratione conſumere, quin & nimia animi exercitatione acui quidem ingenium, at corpus vehementer debilitari conſtet; hinc ægros merito in morbis

maxime acutis, ubi motus corporis inhibendi ſunt; ab actione mentis avocandos eſſe, tantum non omnes inculcant medici. Ita conſumunt ſeveriora ſtudia, at reparare non credantur. At ex altera parte verum eſt, nimia quiete animi plus quam corporis nos debilitari. In qua re uti varia contra Sanctorium monet Gorterus, ut magis cuncta momenta ſibi conveniant hoc notemus:

1*mo* Moderatam actionem mentis augere cerebri motum & liquidi nervei ſecretionem, & multa quidem in functione ſenſus motusque diſſipare, ſed ſine noxa corporis.

2*do* Immoderatam mentis actionem conſumere nimis; reliqua hinc fluida magis figere & ſolida relaxare.

3*tio* Actionem mentis cum voluptate intenſiorem non æque nocere, quia tunc intenſius reparat amiſſum, unde longævitas ſubtiliorum eruditorum, uti Malebranchii, Neutonii aliorumque, quorum nemo eſt, qui non in examine veritatum ex voto proficiens ſentiat, totum ſimul corpus ſub alacritate animi vigere.

THESIS XIV.

Virium magnitudini & agilitati per varia corporis exercitia ſtuduit ars gymnaſtica veterum, inprimis Græcorum, ubi ut Anacharſis dixit, vix oppidum fuit, in quo gymnaſium non eſſet. (Erat locus exerci-

tii, a γυμνὸς nudus, quia plerumque nude fiebat. Ad levia exercitia referebant:

1*mo* *Discursum stadii.* (erat mensura 600 pedum majorum ab Hercule demensorum, alias 1200 pedum.)

2*do* *Saltum in sublime* per certa spatia. (ad plurimum 50.)

2*tio* *Jactum disci*, quem formæ molaris & molis plerumque ferreæ projiciebant.

4*to* *Jactum jaculi* ad certas leges.

Ad gravia referebant:

1*mo* *luctam*, quam inuncti ceromate & pulvere consperfi mutuo complexu & nixu corporum inibant, vel manu manum, fronte frontem premente.

2*do* *Pugillatum*, quo pugnis cædebant, sive nudis, sive cæstibus, quos vel coriacei nodi vel laminæ æreæ armabant.

3*tio* *Pancratium*, quo licebat se complecti, prosternere, volutare & cædere; unde Athletarum robusta corpora, quæ ut talia persisterent, certo vitæ genere utebantur. Usum medicinæ gymnasticæ Herodicus invexit, quem Plutarchus ait primum mortalium fuisse, qui gymnasticam cum medicina conjungeret, ita ut per motum corpora a morbis vindicare voluerit, non sine gravi Platonis censura, qui credidit, ita magis foveri morbos quam tolli. Satius est, seorsim considerare consuetarum apud nos exercitationum noxam vel utilitatem.

Thesis XV.

Inter motus ab impulſu voluntatis pendentes referimus huc:

1*mo* *Oſcitationem* & *pandiculationem*, quæ fit a ſomno maxime in torpidioribus, ex quibus illa motum per pulmones, hæc motum per extrema intendit.

2*do* *Ambulationem*, quæ maxime naturalis & ſaluberrima motus ſpecies, leniſſimoque ſanguinem in extremis hærentem motu muſculari, ſuperatis valvulis ad cor vegetius pellit, & ſub creſcente interno motu cruditatibus ſtomachi, obſtructionibus alvi, torpori animi medetur, perſpirationem auget, & dolorem pedum ex nimia quiete natum ſanat. Fiat in locis apricis, ſerenis & ruralibus potius, quam ſuper ſtrata lapidea, nec nimis breviter & inæqualiter, nunc ſubſiſtendo, nunc regrediendo, nunc progrediendo, qualis motus plus fatigat. Literati adſueſcant huic motui, cautius illi, qui crure debili laborant.

3*tio* *Curſum*, qui motus velocior & vehementior, caput inprimis lædit, & commotos humores retento ſpiritu ſurſum pellit punctūras ſiniſtri hypochondrii gignit, maxime poſt cibum turbat coctionem, pura impuris miſcet, & ſecretiones impedit: diu continuatus nulli non nocet, maxime herniofis & rene affectis, plethoricis etiam

& omnibus insuetis, quorum denique sanguis vel crassior vel vasa teneriora, unde infarctus inflammatorii vel hæmorrhagiæ. Caveatur inprimis cursus per acclivia vel vento adverso, quorum ille plus fatigat ob nixum corporis, hic magis figens sanguinem per pulmones transeuntem, parit affectum peripneumonicum vel pleuriticum. Cursum circularem nec robustissimi equi per semihorulam ferunt: fit in cursu circurali vertigo, & caput, oculi, pectus & crura offenduntur.

4*to Saltationem*, quæ moderata prodest vesperi corpori refecto, minus ante meridiem; immoderata quassat nimia jactatione corporis contenta, coctumque & incoctum expellit; nam nixus ex retenta anima urget vasa ventris, & sanguinem venosum ad cor nimis pellit, arteriosum sistit. Caveant hic maxime senes ob debilitatem cerebri, herniosi ob majorem tensionem peritonæi, gravidæ ob metum abortus, phthisici ob stasin pulmonalem, quin etiam saltationes ad podagram disponant, observante Valentino, & iis, quibus vena recens secta, fatales inde hæmorrhagiæ natæ. Laudatur a multis subsaltatio in equis ligneis modo moderate fiat. Tripudiatio sine saltu convenit cum deambulatione & coctum perspirabile moderate expellit.

6to Natationem, quæ veſperi tutior eſt, manc patentiores perſpirationi meatus majori frigore & cum periculo magis obſtruit. Laudat Cheynæus immerſionem in aquas frigidas olim a Deo per Moſen imperatas, quod triplici nomine proſit:

1) Dum oſcula meatuum cutaneorum crebra ablutione a ſordibus liberat, quæ exitum præcludunt.

2) Quia inde pendet circuitus humorum major per minima.

3) Quia robur expulſionis cutaneum creſcit, (& aditus ingreſſuris externis vitiis negatur): unde inprimis ſuadet Cheynæus commodo ædium loco frigidaria inſtruere; & omni biduo vel quatriduo ſe immergere per æſtatem & hiemem; & putat talem locum æque utilem eſſe domus partem quam cubiculum. At merito illi abſtinent, quorum ventriculus impura colluvie onuſtus eſt, caput dolet & viſcera morboſa mole occupantur, inprimis illi, qui articulis muſculisque teneres & ſpaſmis obnoxii, cum nihil frigore nervis ſit infeſtius. Inprimis abſtinere fas eſt a paſtu vel a motu majori (prægreſſo) quo penetrant craſſiora in capillaria, & jam ſuperveniente frigore figuntur: nil autem plus prohibet perſpirationem, quam frigus cum humiditate, maxime in corpore nudo, & aquis valde gelidis. Diemerbrœckius pro inſigni cautela habet, tem-

pore peſtis & febrium malignarum nunquam uti natatione. Inter hæc quoque in ſanis damnamus morem ſe præcipitandi in aquam, qui caſus vehemens quaſſat corpora & ſæpe frangit vaſcula, cum ſatius eo tempore ſit prehenſo fune impune in frigidarium deſcendere.

THESIS XXVI.

Exercitia varia, pilis ludere aut conis, ſagittas jacere aut diſcum, vexilla agitare, ligna findere, terram fodere, digladiari, colluctari & multa his ſimilia, quæ plenius intelliguntur ex motu nunc quarundam nunc omnium partium corporis compoſito plus minusve violento. Pilæ parvæ luſus Timæo pro optimo motu habetur, cum in eo caput, oculi, collum, pectus, brachia, crura adeoque totum corpus agitetur. Luſus cum globulis eburneis in tabula convenit iis, qui magna exercitia non ferunt; palæſtra robuſtiorum exercitium eſt. Sane firmant, niſi exceſſus ſit, omnes illi motus muſculos, ſerenant animum, favent perſpirationi, pectus ſuperfluis liberant, modo caute debiliores iis utantur. Videas vero, quomodo laxos etiam & imbecillos pueros, qui robore egent, natura reddidetit exercitationum tam avidos, ut domi ſe continere iis ſupplicium ſit: ſic nempe fibræ ad præſtitutos

terminos expanduntur ; vegetoque motu firmantur.

Thesis XXVII.

Ad motus voluntarios pectori ſpeciatim conducibiles referimus :

1*mo* *Sermonem* ipſum & contentionem vocis. Ipſe Hippocrates hanc exercitationem vocis a cœna valde commodam vocat: & Celſus prodeſſe ait imbecillis in vitio coctionis ; ut clare legant , deinde ambulent. Plutarchus utile vocat hoc ipſum non ad ſanitatem modo , ſed & quod principibus corporis membris & vitalibus majus robur & verum vigorem conciliet, calorem viſcerum augeat , vaſa expurget , & coire humores impediat. At quamvis velit , hanc exercitationem vocis nos nobis familiarem reddere ; damnat tamen magnam vociferationem ; quæ rupturas gignit & convulſiones; quod maxime notandum iis , quibus corpus gracile & collum procerum eſt , & pronitas in hæmorrhagias.

2*do* *Clamorem*, quo plerumque cum animi motu conjuncto corpus nimis incaleſcit & commovetur. Suadebant veteres quidem clamores ſtomachicis , ægre coquentibus , acidum ructantibus , vomentibus , pica laborantibus : & multa circa artem vociferandi notabilia apud Oribaſium occurrunt. Qui tamen capite dolent , nec legere nec lo-

qui nedum clamare debent, inprimis anheli, & pectore affecti, ob concitatiorem illuc fluxum. Nata ſubinde eſt ſub clamoribus cum ira inprimis & rixa ruptura vaſorum vel etiam hernia.

3*tio Cantus* pro aëre modulando, dum longa fit & arctata aëris exſpiratio, premuntur viſcera ventris, & muſicis hinc ſæpe urina cruenta nata, vel etiam hernia.

4*to Riſus*, qui modicus prodeſt ſubtriſtibus & melancholicis ac thorace & capite languentibus; (Pechlinus bonas obſervationes habet) effuſus & in cachinnum ſolutus arteriam aſperam & violenter etiam caput concutit ac ſpiritus diſſipat. Phthiſici & hæmoptoici convaleſcentes eo riſu iterum in ſputum cruentum & vomicam lethalem inciderunt, infantes in convulſiones, gravidæ in abortum, vulnerati in aneuriſma, quidam in ſtrumas colli inciderunt. Riſus ſuppreſſus non ſemel hæmoptyſin excitavit.

Thesis XXVIII.

Inter motus ab impulſu externo pendentes referimus:

1*mo Frictionem*, quæ ſive manu fiat ſola, ſive pannis aſperis, ſive etiam vi medica imprægnatis (e. g. fumo ſuccini, maſtichis, bacc. juniperi &c.); ſarcit damna torpidioris motus vitalis & caloris interni, ſuccos crudos coquit, ſtagnantes propellit, & extrorſum

urget ad loca perſpirationis, idque ſine diſpendio ſpirituum, qui ad motum hunc artificialem non ita conſumuntur, velut ad muſcularem. Bene ante frictum ſolventia ingeruntur, alioquin valet illud Sanctorii, frictiones in iis, qui crudis ſuccis referti ſunt, perſpirationem potius impedire. Id quod Gorterus de fluidis inflammatoriis concedit, de crudis aliis negat, quorum lentor, per frictum ad extrema propulſus, hærere cum infarctu poteſt, niſi dicta jungantur. (Cum vero apud omnes morbos largior perſpirationis poſt frictum effectus ſit, hinc utique omnes in Chloroſi, Leucophlegmatia & Cachexia fricare convenit. Nos ita conciliamus, nullum frictum ſine vi diſſolvendi & præparandi ad perſpirationem humoris eſſe, ſed ſalubriori effectu ſub præmiſſis externe ſolventibus.)

2*do Vectionem* in lectica, cymba vel rheda, quæ lenis & aëre ſereno admiſſa, inter ſaluberrimos motus pertinet, actionem aëris in pulmonem auget, & ſucceſſione ad terram plus fluida ad ſolida impellit. Maxime prodeſt vectio ſenibus, infirmis, obeſis, convaleſcentibus & pedum vitio laborantibus: præferri in eo ambulationi poteſt, quod minus fatiget, & minus ſpirituum conſumat, in eo autem poſtponi ambulationi, quod ad vegetiorem perſpirationem non æque diſponat, niſi diu continuetur. Sed dicta

dicta maxime valent de vectione in lectica & cymba, namque vehementior eſt in curru, multum æque atterens ſolida interdum etiam nocens ac equitatio ſuccuſſans, incoctum enim perſpirabile expellit, renes offendit, & calculoſis Iſchuriam & mictum cruentum parit, nauſeam quoque & vomitum inſuetis excitat, maxime hypochondriacis poſt paſtum. Caveant ab ea, qui ſolidorum fragilitate laborant & aucto impetu humorum facile læduntur, ut hydropici, hernioſi, hæmoptoici.

3*tio Navigationem*, quæ vel in mari vel fluminibus vel ſtagnis fit: ex his poſterior minus commendari poteſt ob putridos halitus, quos inſpiramus. Molinus (*Venetus*) longævitatem ſuam inter alia tribuit, quod nunquam exercitii cauſa gondolis uſus ſit, ob auſtrum maxime a mari ſpirantem & plus illa putrida excitantem: ſalubrior in fluminibus eſt, ſaluberrima in mari, ubi tamen ex ventorum & fluctuum crebriori lucta interdum vomitus, vertigo, nauſea & capitis debilitas oriuntur, maxime in inſuetis. His vacua incommodis, prodeſt marina navigatio admodum phthiſicis & cachecticis, aliiſque qui ſunt dubiæ valetudinis, ob quam olim moris erat, teſte Celſo, ex Italia in Alexandriam navigare, partim ob blandam corporis ſuccuſſionem, partim ob climatis mutationem.

4to Equitationem: quæ plus quam reliqua exercitia ſtaſes ſolvit, calorem vigoremque parit, ſenſus acuit, ſpiritus roborat, ſtomacho conducit, ſpinam erigit & perſpirationem maxime partium ſupra lumbos auget. Baglivius pro optimo remedio contumaciſſimorum morborum laudat. Fullerus ait in rheumatiſmis & podagra raro fallere: Pechlinus in quartana: Sydenham & Stahlius ipſis phthiſicis commendant, & Cheynæus equitationi ubivis palmam tribuit, quia ſub minimo labore viriumque diſpendio juvat; hinc crebram equitationem in puro & ſicco aëre pro quotidiano uſu iis commendat, qui ægre cibos coquunt, & qui capite laborant. Ariſtoteles, libidinem tunc creſcere ex frictu partium genitalium & incaleſcentia putat. At teſte Hippocrate ob eundem frictum Scythæ ex diuturna equitatione impotes evaſere. Hæc vero beneficia ſunt equitationis tolutantis non ſuccuſſantis, quarum illam ut ſaluberrimam Sanctorius cenſet, ita hanc inſalubrem, nec forte niſi de hac ſola intelligi poteſt, quod Oribaſius equitationem thoraci infeſtam dixerit, (inprimis ſine ephippiis.) Ab hac non minus quam illa priori longiori abſtineant, quibus viſcera non integra ſunt, vel tenera nimis, vel qui fiſſuris & mariſcis ani, cluniumque ulceribus calloſis laborant, nec minus calculoſi & ſcorbutici, quibus inde mictus cruentus ac-

cedit, denique infirmi omnes vel inaſſueti. Ex equitatione maxime intelligitur utilitas venationis, quæ ut univerſas corporis vires ex æquo exercet, animum oblectat, corpus frigori & calori aſſuefacit, ita præter ea, quæ equitatio præſtat, concentu muſico, latratu canum, obtutu ferarum fugientium &c. majori ardore incaleſcit animus, & ſenſus excitantur, cum nervorum muſculorumque magna contentione; nec minus inde patent peregrinationum commoda, ubi quædam vectionum, ambulationum, equitationum viciſſitudo eſt, & aëris, aquarum, objectorumque perpetua mutatio non injucunda intercedit.

THESIS XIX.

Multum in eo momenti latet, ut hæc motuum præſidia in ſpem roborandi corporis, opportuno ſemper tempore & per gradus applicentur. Languentiſſimos ſubinde ſine fame & actione ſenſibili ſola fere frictio juvat, quam fas eſt in ſumma debilitate per lentos gradus toti corpori maxime circa ſpinam dorſi, abdomen & artus majores applicare, & pannis quidem ſiccis, fumo accenſi ſuccini ſimilive impprægnatis, in lecto vel ad caminum lignis aromaticis (ſeu odoriferis) calefactum. Proximum eſt ſella portari & oſcillationem ſubinde in fune ſuſpenſo pati. Sequatur vectio in rheda tecta &

lente progrediente, ſenſim in aperta vel in navicula, idque tantum aliquot horis ante paſtum, inter hæc levis & lenta ambulatio fiat per pavimenta lignea; his ſenſim creſcit actio in corpus, appetitus cibi ac perſpiratio & nutritio: denique licebit ambulare per arenas & ſtrata lapidea, imo pedetentim per acclivia & declivia, ſed nunquam ultra gradum laſſitudinis: in fine ad durandum corpus equitationes & alia exercitia fortiora, ut ſaltatio, pilæ luſus, digladiatio convenient. Nihil pernicioſius eſt, quam neſcire gradus roborandi per motum corpus. Ceterum infirmi omnes, literati, ſedentarii ſtata exercitationis tempora non magis negligant, quam tempora ſomni aut paſtus. Qui non nimis occupati ſunt, arripiant omnem movendi corporis opportunitatem, maxime ante prandium pro acuendo appetitu & ante ſomnum pro digeſtione promovenda.

CAPUT V.

DE SOMNO ET VIGILIIS.

THESIS I.

Vigilias, in quibus vitæ ufus maxime confiftit, multi fine fomno optabiliores cenfent, qui vias providæ naturæ non fatis confiderant: funt etiam, qui fomnum laudant ut partem non folum vitæ, fed & meliorem: alii ut interliminium vitæ & mortis confiderant, & damnant ut publicanum, qui medium vitæ nobifcum dividit, unde ftudium veterum natum eft pugnare cum fomno fed futile & noxium, quod vi corpori illata, breviorem vitam reddit & magis calamitofam. Errant omnino, qui ftudium (veterum) in fomno coarctando nimis laudant. Fabula apud Photium eft, Troglodytas olim caruiffe fomno; nec laudandus multum lufus Ulpii Marcelli, qui a Commodo in Britanniam miffus, voluit quafi femper vigilans admirationi effe militibus fuis. Sunt qui pro hoc fcopo inftruxerunt lectulis calculos littoris, vel fpinas, & laudarunt alii nocturna horologia, fphæram Arif-

totelis, aut globulorum Alexandri in pelvim ruentium ſtrepitum; alii meram aquam, vel ſerum lactis, vel tenues potus aptos crediderunt ad repellendum ſomnum. Sed bene notat Boerhavius, ſe inter funeſta amicorum experimenta didiciſſe his vitam præcipitari.

Thesis II.

In vigiliis major eſt pro exercitio ſenſus motusque voluntarii functionum animalium vigor; ad eas dum vegetior motus determinatur, languere magis videntur reliquæ functiones vitales & naturales judice Sanctorio. Neceſſe vero eſt has ipſas functiones animales ob majora ſenſim ſpirituum diſpendia elangueſcere & debilitari inter hæc ſigna, ut ſenſus major ſit gravitatis, ſiccitatis & ſitis, in quo ſtatu opus erat ſomno, qui attrita reparat, fibris in ſtatu vigiliarum tenſis quietem dat, cibis tunc ingeſtis digeſtionem parit; & inter hæc ſubſidia novum ſpirituum commeatum pro vigiliis conciliat.

Thesis III.

Elucent ubivis providæ naturæ præſidia; per vigilias nata diſpendia proprie reparantur a cibo, cibi coctionem majorem promittit ſomnus, cocti diſtributionem pro-

movent vigiliæ. Natura ad hanc triplicem corporis indigentiam attenta exhauſtis famem excitat, ut corpus novo alimento repleatur, repletos ad ſomnum reddit procliviores, ſomno refectis voluptatem vigilandi agendique reſtituit, id quod leges corporis uberius illuſtrant, cum chylus in ſanguinem ingreſſus & per calorem internum rarefactus expandat majora vaſa cum preſſis minoribus, quæ in cerebro deſtituta liquidiori parte ſenſum motumque animalem ſuſpendunt, adeoque ad ſomnum invitant, quo ipſo relaxantur vaſa, & humoribus tritu jam æquali circumactis & ſolutis patet rurſus in minora ingreſſus & redit vigor organorum ſenſus motusque.

Thesis IV.

Placidum ſeptem horarum ſomnum duplo plus quam in vigiliis, imo aliquando plus quam in exercitio violento, ſi paria temporis momenta ſpectas, & in pleriſque quidem uncias 40, imo in robuſtis uncias 50 diſſipare, ſententia eſt Sanctorii. At Gorterus (in Batavia fuit, ubi perſpiratio alia quam in Italia) ultra uncias 16, Keilius ultra uncias 12 exhalare negant. E contrario ſtatum tum vigiliarum tum maxime fortis exercitii longe plus quam ſomnum dibergére arbitrantur. Sane non per omnia aſſentiri Sanctorio licet, niſi de corpore per-

fecte robusto & sub calidiori cœlo versante, largiterque cœnante, & paucas excretiones sensibiles habente: illam perspirabilium copiam intelligat ex parte etiam non tam ad majorem levitatem corporis, quam sensum levitatis respici. Certum vero est, corpus a somno sentiri levius & alacrius, non modo, quod multum noctu perspiret, sed quod inprimis a munere sensus motusque voluntarii, adeoque a magna & debilitante sensim nervorum tensione requiescat, & solo vitali motu sanguinem ad novum spirituum proventum disponat, viresque sine solita consumtione reficiat. Hoc adde a somno perspirare cocta cum levamine & incremento virium, in vigiliis cruda cum defatigatione.

THESIS V.

Agilitas mentis & corporis a somno peracto optime nos docet corpus illa nocte bene perspirasse ad minimum libras tres; nullo jam laborare secretionum & excretionum vitio humores nostros in medio tunc gradu esse inter nimiam vel tenuitatem vel spissitudinem, sensum levitatis augmento virium debere, quas e contrario motus fortior muscularis plus minuit, & hinc sensum ponderis relinquit.

THESIS VI.

Dormire sine somniis salubrius est quam dormire cum somniis; quia ibi tranquillior

circulatio, melior coctio, validior perſpiratio, hic vero (cum ſomniis) ſi inprimis inter ſomniandum terror, metus, triſtitia excitantur, turbata eſt circulatio & diſſipatio ſpirituum fit a virium jactura & crudi accumulatione.

THESIS VII.

Sanctorio perſpirationem nocturnam largiorem ſine ſudoribus quam cum ſudoribus ſtatuenti obloquitur pariter Gorterus, qui omnino plus ſubtrahi inter ſudores, licet ſine ſenſu levitatis majoris exiſtimat. Hic vero non male notat Noguez, vaſorum perſpirabilium ſimul ſumtorum diametrum, ſuperare diametrum ſudoriferorum, adeoque horum excretionem non æquare excretioni eorum, inprimis ſi cogites tumentibus ſudoriferis comprimi vaſa perſpirabilia in ambitu & excretionem eorum inhiberi.

THESIS VIII.

Quoties a ſomno oſcitatio fit, quæ motum per pulmones, & pandiculatio, quæ motum per venas in extremis repletas intendit, bene corpus perſpirare & copia materiæ perſpirabilis gaudere cenſemus, ob quam una hora plus diſſipat, quam tres aliæ horæ teſte Sanctorio; nempe quia in dormientibus placidior eſt circulatio & ſimul æquabilior & vis muſcularis, quæ in vigiliis pro-

pulſionem per venas juvat, quieſcit; patet tunc venas ab actione arteriarum tantum impleri & diſtendi, hinc commode fieri, ut in evigilantibus rediens muſculorum actio conſtringendo & relaxando venas interjectas nova vi urgeat, unde cor refluentem celerius ſanguinem pariter in arterias fortius impellit, & exinde in loca ſecretionum & excretionum, quæ hinc ſecretis liquidis turgida coctum perſpirabile largius eliminant.

THESIS IX.

Menſura ſalutaris ſomni in plerisque ſanis eſſe poteſt pars tertia diei ſive octo horæ ex viginti quatuor. Laxiores utrinque terminos ab horis ſex ad novem cum Joanne Daniele Horſtio non improbamus, infra ſex horas vix ſufficere ſomnum, ſupra novem nimium eſſe cum Joanne Bevrovicio judicamus. Inter quas horas plerisque placet ſeptem, olim Auguſto familiares: aliqui, inter quos Caſpar Hoffmannus procliviores ſunt ad horam detrahendam, alii ut Guido Patinus ad horam adjiciendam. Veteres Germani, ut Tacitus ſcribit, ſomnum in diem extrahebant. Varia occurrunt, quæ in hac ſomni menſura coarctanda vel amplificanda attendi debent, ut temperies corporis, ætas, vitæ ratio, nunc otioſa nunc exercitata, vel aliarum cauſarum incidentium poteſtas. Generatim illud Hippocratis notandum, ſomnus & vigilia, ſi modum excedunt, mala.

THESIS X.

Ratione temperiei plus merito indulgent ſomno, quibus caput magnum, vaſa anguſta; minus, quibus ampla ſunt vaſa. Hi Ariſtoteli non ſunt ſomnolenti, illi propenſiores in ſomnum; nempe ibi ab anguſtis vaſis ad mollia & dilatabilia cerebri, quæ omnium minime reſiſtunt, eo plus ruit ſanguis, quo amplius in majori capite ſpatium eſt; unde & plethorici pariterque obeſi cito & in profundum ſomnum incidunt; nec tamen obeſis nimis permittendus eſt ſomnus, cum magis pinguefaciat. Temperies ſtrictior & aridior plus etiam eget relaxantis & humectantis ſomni munere: Laxior vero humidiorque plus inde relaxatus, enervatur & viſcidis obruitur, nec tamen in iis ob lentam coctionem reſcindi nimis debet. Cholericis largum ſomnum Guido Patinus eumque a paſtu Plempius commendat: ſanguineis ut victus ſic ſomnus plenior ſit: Melancholici, quibus parcus cibus & lenta conſumtio eſt, carere ſomno diuturno poſſunt.

THESIS XI.

Ratione ætatis, *infantes* longo ſomno indigent, ut iis, fere ſufficiat in vigilias tertia pars dici. Laxa quidem eorum corpora ſomno laxari magis neceſſe eſt, at hæc laxi-

tas, ut incrementum capiant, iis amica & naturalis eſt, modo quæ implent & nutriunt, ne debilem vim coctionis copia gravent, parco & crebro offerantur. *Puerilis* ætas omni gradu aliquid ſomno detrahat. *Virilis* in tanto virium reparantium vigore breviſſimo ſomno reficitur: Creſcente paulatim ætate, cum jam lentior coctio ſit, prorogetur ſomnus, ſed maxime in ſenibus exſuccis & rigidis, in quibus ſomnus, judice Galeno mollit, humectat & diſpendia ſpirituum cohibet. Sine dubio maxima ſomni ſalubritas eſt, ubi omnia lente coquuntur & reparantur. Hinc vita ſenum vocatur ſomnus, quia vero hic nimis interruptus eſt, de die etiam convenit.

THESIS XII.

Ratione vitæ magis vel minus exercitatæ plus vel minus ſomni ad perdita reſtauranda requiritur. *Adulti* in vita exercitata ſub profundiſſimis ſomnis optime coquunt, cito reparant, &, ut Galenus ait, pravi etiam cibi noxam corrigunt. At magnæ animi commotiones plus exhauriunt & fatigant, quam magni corporis motus; ibi vero neceſſarius ſomnus, ob perennem ſtimulum, qui remanet, ægrius capitur. *Eruditi*, quibus cerebri & nervorum functiones maxime ſerviunt, ob conſumtos ſpiritus & enervatas coctiones longa ſomni refectione egent.

Hinc olim Mufis & fomno in communi ara facrificabant, quod crederent, non majorem amicum Mufis effe quam fomnum. *Otiofi* corpore & animo inter tam pauca ignavi corporis difpendia nec cibi nec fomni multum, plus beneficium exercitatæ vitæ poftulant.

THESIS XIII.

Incidunt & alia, quæ fomni falutaris terminos mutant: Ingefta folubiliora, cum nec moram in ventriculo nec longam coctionem requirant, etiam fomno protractiori non egent: Craffiora & tenaciora, velut ultro ad fomnum invitant, ita retineri ejus ope & coqui ulterius debent. Poft magnas evacuationes, vel etiam compotationes opus pariter eft luculentiori fomno. Hieme & æftate par quidem neceffitas eft, amiffa fluida fomno reparandi, & blando illo ac æquabili circulationis motu diffolvendi, hoc tamen difcrimine ut 1*mo* Hieme nocturnus fomnus plus protrahatur, æftate meridianus alliciat.

2*do* Æftivis noctibus parcius, hiemalibus largius corpus perfpirat, quod hic ftragulis tectum folertius laxiora habet ofcula cutis, unde & Sanctorius utiliorem hieme fomnum cenfet. Adde corpus multum die æftivo perfpirare, hinc nocte non ita abundare materia perfpirabili. Hieme & vere longiffi-

mos ſomnos ipſe vocat Hippocrates. (Inſecta quædam per totam hiemem dormiunt, ut hirudines &c.)

Thesis XIV.

Somnus matutinus a peracta coctione, quæ circuitu æquabili trituque iterato tenacitatem vincit, perſpirationem dat maximam, & ſecundum Sanctorium una hora totam libram perſpirabilium diſſipat: Non peracta coctione ne quadrantem quidem, nempe per coctionem creſcit partim copia perſpirabilium, partim vis expulſionis, hæc vero (vis expulſ.) languet, illa (copia perſp.) deficit læſa coctione. Inde eſt, quod proximis horis a ſomno, quippe optimæ perſpirationis, lædere ſumta alimenta vel medicamenta ac perſpirationem divertere (diminuere) cenſeat Sanctorius. Rem ita limitat Gorterus: 1) Diaphoretica eo tempore omnino convenire. 2) Mitia purgantia non ſtatim lædere perſpirationem. 3) Fortiora purgantia urgente neceſſitate prudenter data, plus urgere, quam momentum mutatæ ad breve tempus perſpirationis; non ſunt talia ſcrupuloſe nimis in corpore pravis humoribus oppleto, metuenda.

Thesis XV.

Somnum protinus a paſtu captum, plerique coctioni inimicum judicant, ob tritum

& miſcelam in officina chylificationis debiliorem. At mora cibi, quam ſomnus gignit, in primis viis ideo ſalutaris videri debet, quod plus menſtrui ſolventis & ſpirituum citra metum, ne motus muſcularis avertatur, miſceatur ingeſtis, adeoque hæc longiori intervallo & plenius & efficacius diſſolvantur. Laudat Sanctorius ſomnum ut opportuniorem horis circiter 4. a cibo, ob naturam tunc minus prima coctione occupatam. Quæſtio hic incidit de ſomno meridiano an ſuaderi & quibus poſſit? Nos probe gnari alios illum bene, alios male ferre. Conſuetudini, quæ magnos ſæpe errores diætæ impune fert, multum quidem tribuimus: At rationes nunc ſalutaris nunc noxii effectus his limitibus circumſcribimus.

1*mo Languidioribus*, in quibus nimis longa ingeſtorum mora tendere in corruptionem poſſet, moderatum a paſtu motum convenire: Somnum, qui laxa jam corpora plus relaxat & viſcidum accumulat, haud protinus, licet ad eum proclives ſint, capiendum eſſe.

2*do Agilioribus*, in quibus ingeſta ſe cito nimis ſubducunt coctionis adminiculis, inprimis ſi ante cibum ſe nimis exercuerint, brevem ſomnum certe quietem licet ad eum minus proclives ſint, prodeſſe. Verba hic notamus Boerhavii (§. 770,) qui, nocere iis ſomnum ait, qui præ ceteris in eum pro-

clives ſunt, his prodeſſe; qui in vigilias proni.

3*tio Siccioribus*, ut Senibus imbecillis æſtate inprimis brevem, teſte Hippocrate, interdiu ſomnum convenire, ne corpus ab anni tempore reſiccetur. Celſus ſuadet, longis diebus meridiari, potius ante cibum, ſin minus poſt illum. Senibus ſtatim a prandio convenire Riolanus docet.

4*to Poſt ingeſta craſſiora*, velut ultro ad ſomnum invitant, ita hujus ope retineri & ſubigi diutius debere. Prodeſt inprimis poſt prægreſſum ſomnum turbulentiorem, & hinc imminutam perſpirationem ſomno a prandio allicienti nos committere, quo perſpirabimus multum, & levitas capitis corporisque agilitas ſuccedet. Cùm e contrario omnis ſomnus noxius, gravitatem corporis & torporem relinquat.

Thesis XVI.

Coctio, quæ in ſomno & quiete fit, opponenda eſt digeſtioni, quæ fit in motu & vigiliis, ibi (in coct.) ſedatior motus ſegregat partes ſimiles, hic (in digeſt.) rapidior (motus) miſcet omnia & fortius diſtribuit; ibi reſtitutio virium eſt, hic conſumtio: Hinc longævum Sanctorius vocat, qui bene coquit & bene digerit. Nempe ut coctio mutat indolem magis humorum, quam locum; ita digeſtio locum potius quam indo-

indolem. Justa est ad hoc discrimen attentio, uti constat in lassitudine a somno, quæ parciori influxui spirituum debetur: Nam si in genesi horum (spirituum) vitium est, medetur coctio somni, si in distributione, digestio medetur per vigilias & motum muscularem. Hæc enim nos instruunt in morbi progressu; si dicta lassitudo non cedit motui; collige penuriam ipsam spirituum, quæ vel est a consumtione nimia prægressa (e. gr. in re venerea) vel a cruditatibus & corruptela ingestorum. Utrinque somnus juvat (nam reparat spiritus) ibi vero simul blandum alimentum, hic inedia potius (ubi vitia ingestorum sunt.) Ceterum etiam favent somno:

1*mo* *Stomachica*; ut Diacydonium, quia ad organa chylopoietica plus inde spirituum allicitur, minus ad organa motuum.

2*do* *Volatilia*, quæ ad caput determinant pro majori spirituum secretione ut modicum generosi vini.

THESIS XVII.

Somnus inquietus, qui plerumque morborum reliquias sequitur, vel novorum ortum antecedit, solitæque perspirationis partem supprimit, nocere solet, partim ob quietem organis sensus motusque animalis negatam, partim ob impeditam spirituum & laudabilium humorum genesin, consumtorumque

reparationem, id nisi sequentium dierum restitutio sarcit, febris imminet vel aliud malum, quod si a tali somno carnes sint frigidæ, & febricula succedit, debilibus mors, robustis longitudo morbi metuenda est. Turbat vero somnum & cum eo perspirationem, quicquid æquabilem per vasa circuitum lædit, inter hæc maxime sunt:

1*mo* *Affectus animi*, qui vim influentium spirituum turbant, nunc augent, nunc minuunt, nunc sistunt, simulque hæc vitia in ipsam circulationem transferunt.

2*do* *Corruptela cibi*, qua ob consensum cerebri & ventriculi nil magis somnum turbat, statim, ut Sanctorius docet, sub corruptela illius cibi duo mala emergere, cohibita perspiratio & vigilia, quæ a stimulo corrupti somnum magis arcent.

3*tio* *Frigus* ad partes noctu negligentius tectas admissum, maxime ab aura austrina, quæ plus lædit, quam magnum frigus in vigiliis. Hinc sudor frigidiusculus a somno non solum teste Sanctorio perspirationem inhibet, sed & iterata vi podagricos reddit. Retentum perspirabile tum acrimonia, læsa etiam partium superiorum perspiratione, caput petit, brachiorumque dolores & lassitudines ciet.

4*to* *Mutatio lecti soliti*, vel agitatio in consueto (lecto) nimia, hæc plus veloci cursu corpus agitat, illa insomniis turbat,

& eo plus lædit, quo major eſt ab inſolitis mutatio.

Thesis XVIII.

Somnus ſalutares ſuos limites, temperiei, ætatis aliarumque conditionum, quas recenſuimus, excedens, ob languidiorem jam motum per vaſa relaxata, qui iis antea ſtrictis & motu vigiliarum compactis humoribus proderat, dum juſto diutuius durat, fit ſenſim ex ſalutari noxius, & ſolutos humores nimia quiete iterum inviſcat, & inde corpus laxius, debilius, frigidius, ponderoſius evadit, & ad motum & perſpirationem minus habile. Id clarius conſtat ſi cogitemus:

1*mo* Vigiliarum motu denſari humores diſſipata parte tenuiori.

2*do* Per ſubſequentem ſomnum remittere illam vim diſſipandi & reliqua denſandi, ideoque humores intra relata jam vaſa placidiori motu diſſolvi.

3*tio* Ipſum hunc placidiorem motum diu durantem per relaxata vaſa neceſſario ſenſim torpere nimis, & humores iterum, ut Sanctorius ait, impingi i. e. ſpiſſeſcere: Nam ſpiſſitudo tam a nimio motu eſt, tenuibus excuſſis, compingente, quam a nimia quiete, in qua ſponte cœunt humores, quorum partes non perpetuo divellit motus a mutuo contactu. Ita maxime caput repletur, ce-

rebrum gravatur, & dum in ſomno circulatio fit tantum per vaſa corticis preſſi minores cuniculi incipiunt coire, & dum, docente Lowero, in ſomno plus ſanguinem arteriæ vehunt in cerebrum, lentius venæ revehunt, diſpoſitio ad ipſam Apoplexiam naſcitur. Ita generatim notamus, qui diu dormiunt, ſpiſſitudinem humorum accipere cum infarctu capillarium, figi excrementa, aggregari in lateralia; unde torpor, caput grave, ſenſus hebetes, obeſitas, aliaque partim recenſita mala, quæ debilitant, relaxant & vires ſuffocant. Ubivis regula eſt, ſomnum non prodeſſe, niſi ubi coctione opus eſt, & in inopia ſpirituum: Eſſe enim ſomnum quietem motuum voluntariorum, ut eorum organa ab exercitio & attritu languida recolligant vires & vigiliarum diſpendia reſarciantur.

Thesis XIX.

Peccant in ſe maxime infirmi, qui, nocturnum tempus vigiliis, diurnum ſomno transigentes, naturæ ordinem pervertunt. Convenit vigilantibus in ſuis negotiis lux diei & commercium hominum, quibus de die maxime inter ſe res eſt: Convenit dormientibus ſilentium noctis & ceſſans hominum in negotiis ſuis ſtrepitus. Semper opportunum infirmis eſt blando & puriori diei calore & lumine uti, nullum vero iis

(infirmis) nocentius tempus eſt, quam quod aëris injuriis exponit horis proximis ab occaſu ſolis. Peſtifera inprimis veſpera eſt poſt intenſos calores æſtatis, ubi putres, corrupti, noxii halitus, quos ſol attollere, coquere, miſcere per diem poterat, jam ſub veſpertini cœli frigore in nos recumbunt, & graviter offendunt. Hinc & minus ſibi nocet ebrius, qui mature lectum petit, quam ſobrius vigilans, & ipſa ſtudia in ſeram noctem protrahens. Bene ſibi conſulunt infirmi, qui æſtate inprimis paulo poſt occaſum ſolis cubitum eunt, & tepido fotu lecti contra pericula illa & aëris offenſas ſe muniunt. Cum præterea certum ſit, corpus plus refici ſomno paucarum horarum ante mediam noctem, quam intra geminum tempus poſt illam.

THESIS XX.

Amica Muſis aurora eſt, ſub qua vigent animi facultates abſoluta coctione & refectis a ſomno viribus ad obeunda debita miniſteria: Obtuſior a paſtu mentis acies eſt. Igitur literati debiles fugiant lucubrationes, & primo mane potius experrecti ſtudiis invigilent, & poſt leve jentaculum fere ad meridiem pergant; tunc ubi horam impenderunt levi exercitationi poſt brevem quietem ad prandium accedant: Poſt illud tempus non nimis intendant animi vires, dent po-

tius locum hilari colloquio vel grato exercitio, nec cœnent largiter, nec ſtatim a cœna largiori cubitum eant. Sufficiat illis in cœna oluſculum, pulticula vel ſimilis cibus coctu levis & mole exiguus, idque aliquot horis, antequam cubitum eunt, tunc blandus refocillat ſomnus, qui nimis gravato ventre ſemper gravis eſt, inquietus, interruptus, non reficiens, ſub quo (ſcilicet ſomno) intrant cruda per laxiora jam vaſa lactea ſimulque morborum ſemina. Sic hypochondriaci luunt errores victus inſomni nocte; ita hyſtericæ ſe volutant, nec niſi ſummo mane capiunt ſomnum & feſſæ per diem ac moeſtæ vivunt, repetere tamen errores ſolent, cum cœna vel modica vel nulla melius ſibi conſulerent. Non male debiles cubitum ituri potu aquæ utuntur, vel pauxillo vini Hiſpanici cum triplo aquæ, aut pauxillo ſeri calentis, quod perſpirationem juvat. Inter hæc bene eſt juſto tempore ſurgere, ne ſtragulorum calor & mollities nimis emolliat fibras & enervet. Surgens e lecto utatur puro aëre, ſub quo vegetius circumaguntur humores; corporis ſomno refecti ſitus erectior, motusque levis augent perſpirationem: Recedunt noxii vapores noctis. Novus ſol exortu ſuo exhilarat & vigore novo implet.

THESIS XXI.

Vigiliarum motus fortior propellit ad extrema, in ſomno debilius. Ibi (in vigiliis) extrema ſtrictione reſiſtunt magis, hic laxiora reſiſtunt minus; ibi (in vig.) materia ad diaphoreſin minus præparata, hic (in ſomno) copioſior eſt & ſolutior.

THESIS XXII.

Vigilia nimia conſumit ſpiritus, tenera nervorum ſtamina atterit, coctionem & nutritionem in ſomno maxime peragendam turbat, & inquietudinem parit, ob quam deinde, qui multum vigilavit, licet hinc torpidior, non poſſit dormire. Notavit Boerhavius hanc quoque inquietudinis ſpeciem, quæ a perpetuo meditationum exercitio mirificam parit animæ ad ſua munera proclivitatem, & inter conſtantia pervigilia ſummos ſenſim nervorum dolores, vix optimæ deinde medelæ cedentes.

THESIS XXIII.

Vigiliæ inſolitæ & perſeverantes inter ſe differunt. Inſolitæ vocantur, quæ plures horas conſueto ſomno eripiunt: Perſeverantes ſunt inſolitæ continuæ, quæ plures noctes nullo vel exiguo ſomno transeunt, & tum pondus corporis tum ſenſum ponderis augent judice Sanctorio. Debebat Sanc-

torius ſenſum potius ponderis quam pondus ipſum corporis in utroque ſtatu agnoſcere, niſi ſimul ad ingeſta tenaciora reſpiciat. Illud autem bene monet, juſtum ſomnum horarum ſeptem immoderatis vigiliis ſupervenientem, ad libram circiter augere perſpirationem. (Quam alius ſomnus 7 horarum.)

Thesis XXIV.

Corpora, quæ exhalant & imbibunt quicquid boni vel mali habent, ſæpe ad ſe mutua ſub lecti communione transferunt. Si corpus infirmum ac ſenile ſub iisdem decumbit ſtragulis cum corpore vegeto & juvenili, alterum ſub ſpoliis quæ haurit reficitur, alterum ſub diſpendiis ſuis marcet. Ita David ſenex frigidus & languens accubitu puellæ ſanæ & vitalibus ſuccis abundantis ex ipſo conſilio medicorum fomitem caloris & novarum virium quæſivit. Sic conſtat de ſene quodam Germaniæ principe inter duas amabiles puellas cum lucro virium & ſanitatis dormiente. Viciſſim conſtat in ſcabie, lue venerea, peſte & aliis morbis endemiis, multos quidem ſub ipſo in vigiliis contactu & commercio, at citius graviusque ſub ſocietate lectorum inquinari.

Thesis XXV.

Præſtat pro ſtatu æquabilioris circulationis decumbere in latus membris leviter in-

flexis & contractis, & capite plus elevato quam pedibus. Nempe corporum (dormientium) ſitum decliviorem poſtulat facilior tunc ſanguinis ab extremis ad cor reditus, hunc enim de die impulſus arterioſi ſanguinis & actio muſculorum accelerant: At ille debilior eſt in dormientibus, hæc etiam ceſſat; hinc, niſi decliviori illo ſitu juvetur venoſi ſanguinis reditus, duo imminent incommoda, colluvies ſeri & diminutio caloris vitalis. Conſtat, illis, qui de die exercitiis non vacant, aut nequeunt vacare, facile pedes veſperi tumere, mane ob beneficium declivioris per noctem ſitus detumeſcere; nec frigidi niſi pedibus noctu paululum erectis commode dormiunt. (Notat decubitus ſupinus in dorſum morbis acutis exhauſtas vires, ob quas muſculi non amplius ſuſtentant corpus, & eſt malum ſignum.) Nec vero ſitus capitis in dormiente nimis declivis ſit, alioquin ſanguis & ſerum lentius a capite revehuntur, & preſſo tunc cerebro naſcuntur vertigo, tremor, tumor faciei, torpor ſenſuum, incubus & alia mala. At qui capite altius decumbunt, hi ex ſomno breviori agiliores reſurgunt. Maxime caveant nocturni compotatores ab illo decliviori ſitu capitis, quia ſic lotium minus promte veſicam ſubit, hæc etiam impleta, dum nixus lotii in cervicem (veſicæ) noctu minor eſt, & ſpirituum miniſte-

ria languent, ſentit minus excretionis ſtimulos & redundans intro ſerum, niſi mane diarrhœa vel ſudore ejicitur; caput ſuperne obruens parit ſæpe paralyſin, hydropem cerebri, lethargum imo apoplexiam, obſervante Richardo Lowero, qui ideo ſuadet potatoribus lectum non prius petere, quam maximam potulentorum partem lotio excreverint, idque ut citius & largius fiat, laxare veſtes vel exuere ſed caute. Tangimus adhuc quid ſupinus dormientium ſitus in dorſum habeat incommodi. In homine erecto cui caput ſuper reliquum corpus eminet, moles cerebri in cerebellum decumbit, forte tamen velum duræ matris vim ſuſpendit, ſinus laterales magis declives ſunt, & utrinque obliqui antequam in venam jugularem terminentur. Non dormiet ſitu ſupino, ſi collum occipite altius eſt, quia ſanguini in venas jugulares aſcendendum ſit potius, quam ut inde defluat. Hinc retardato certe motu aggeſtus ſanguis gravat, diſtendit, arrodit ſenſim vaſa & premit, redundans in cerebrum ad medullæ oblongatæ nervos ſtaſi ſua laceſſit, unde hydrops cerebri, vel a ſero accumulato paralyſes, ſomnolentia, lethargus &c.

Thesis XXVI.

Stragula, quæ dormientem tegunt, ejusmodi ſint, ut in moderato & æquabili

calore, qui coctionem probe tuetur, corpus ſervent. Sunt illa nunc plumata nunc textilia villoſa, pellicea pannoſa (Matratzen) iſta hieme, hæc magis æſtate conveniunt; nec tamen temere ſemel aſſuetis mutanda. Stragula imprimis hieme denſius incumbant debilioribus, robuſtioribus levius æſtate, nec robuſtiſſimis tamen impune eſt in calidiſſimo etiam aëre dormire nudos.

THESIS XXVII.

Cubiculum dormientibus ſit amplum ſoli & aëri pervium, non ut ſæpe moris eſt, anguſtum in umbra latibulum, in quo incluſus aër & corporum effluviis brevi inquinatus gravat reſpirationem, nec ſit excalefactum nimis, quod ſtupefacit, ſenſus hebetat & reſpirationem in declivi ſitu per ſe jam difficilem reddit difficiliorem; nec ſit præhumidum, quod ad lethargum diſponens crebro ſuffimento ex odoratis eget.

CAPUT VI.

DE ANIMI PATHEMATIBUS.

Thesis I.

Res eſt abſtruſa & difficilis actionem corporis in mentem, mentis in corpus definire, nec ſyſtemata, quæ id moliuntur, nunc influxus phyſici, nunc cauſarum occaſionalium, nunc harmoniæ præſtabilitæ, omnes hic difficultates facile expediunt. Modum neſcire, qua lege conditor res tam diverſas pro mutuo commercio conjunxerit, docta ignorantia eſt, & ſufficit in luculenta obſervatione legum pro mutua actione ſtabilitarum acquieſcere. Ita diſcimus præſentem ſtatum animæ cogitantis & pari ratione præſentem motum corporis protinus mutari, quoties ibi objecta externa agunt per organa ſenſoria, & hic quoties animæ nutu motus muſculares qui hinc voluntarii dicuntur, ſuccedunt. Notamus vero, id fieri interventu maxime nervorum & in his contentorum ſpirituum, quibus integris ſubſiſtit illa actionum communio, læſis læditur, deſtructis perit. Quin & notamus, ſpiritus

in omni minifterio animi tam proprio quam communi requiri, determinari, confumi. Unde Apoplexia, ubi actio animæ, fublata fpirituum in cerebro fecretione, perit: Paralyfes, ubi motus voluntarius ob vias fecretis & determinatis fpiritibus haud patentes, aboletur. Ipfa vero docet profunda meditatio plus fpirituum inde viriumque quam a fortiffimo corporum exercitio confumi.

Thesis II.

Generatim notamus circa confenfum motuum animi & corporis, fi animus vel tranquillus fit vel torpidus vel jufto commotior, refpondere corporis motus nunc moderatiores nunc languidiores nunc vehementiores. Hinc minime errant, qui fummum fanitatis præfidium in animo tranquillo ponunt, in quo corpus etiam jufto vaforum tono & falubri humorum fluxilitate præditum viribus gaudet, præfentem morbum facilius tolerandi, imminentem præcavendi. Neque errant, qui torpentem animum chronicorum maxime, commotum nimis acutorum morborum caufas continere, fovere & excitare putant, & recte confulunt, qui animi affectus fanguinem, velut ventos aërem ventilare perfuafi, nunc eos in languidioribus excitant, nam marcefcere corpus & otio perire fine animi motu, recte Sancto-

rius docet, nunc in commotioribus reprimunt, ne motus ſub juſto limite ſalubris, in turbulentum & noxium deflectat.

Thesis III.

Oriuntur affectus partim ab anima ipſa, partim corpore, ibi vix medicinæ locus eſt, niſi per adminicula rationis, vel potius affectus contrarios, hic ipſa diatheſis corporis corrigenda eſt, ob quam multi a levi cauſa vehementer, alii a graviſſima cauſa parum vel plane non commoventur. Patet affectuum a corpore origo a venenis philtris morſu Tarantulæ, ubi timidi evadunt, iracundi & furioſi, vel ab atra bile taciturni, mœſti, moroſi, meditabundi. Sæpe non pendet a nobis quid cogitemus, ſolus cibus potusque ſubmergere poteſt divinæ auræ particulam. (Aliter ſobrius aliter ebrius cogitat.)

Thesis IV.

Non unus eſt ſed varius pathematum ſtatus, pro ratione affectorum nervorum. Habent nervi vim in vaſa ſanguifera, nunc aucto nunc diminuto ſpirituum motu ſanguinem mox celerius mox lentius agitant. Videntur nervi inſtar laqueorum arterias complecti, & e. gr. in ira vel gaudio urgere ſanguinem alterno concuſſu in mœrore & timore ſiſtere & remorari. Ita jam Wil-

lisius notat , nervos circumligare vasa , & hinc pulsum ab animi affectu luculenter mutari. In alio affectu intensa nervorum actio, in alio oppressa apparet , neutra salutaris, ibi ob actionem justo intensiorem & sæpe inæqualem , hic ob inhibitam nimis & sufflaminantem , ibi cor , arteriæ & musculi majori agunt virtute , fortius subigunt humores , propellunt velocius , distribuunt plenius , hic (in affectu contrario terrore , timore , metu , pudore &c.) cor , arteriæ & musculi , in sua actione segnescunt , humores ex lentore motus spissescunt , stagnant , secretiones inprimis per perspirationem lædunt.

THESIS V.

Vehementes affectus animi sanis etiam, in quibus neque plethora , neque cacochymia peccat , infestos pro frequentissima morborum causa agnoscunt omnes , ob quam valere magis videmus animalia, quæ affectibus minus tentantur quam homines. Semper plus nocet nimius motus animi , quam nimius motus corporis , quia hic aliquos tantum nervos motui musculari servientes, ille totum nervosum systema in ipso ortu afficit : hic inter consumtiones præparat humores ad novum a somno spirituum proventum , ille tantum consumit , non reparat; hic abrumpi ex arbitrio potest, ut vires som-

no & quiete refoventur, ille pergit irrequieto ſtimulo nervos ac cor irritare, ſomnumque, qui medela eſt, non admittit. Hinc Sanctorius docet; corpus quieſcens animo commoto plus perſpirare & pondere diminui, quam corpus commotum animo quieſcente: nec male concludit, licet Gortero minus favente, turbatum corpus, quod animum alterare cœpit, facilius ad quietem redire, quam animum. Sane perſeverans affectus, coctionis vitia, quæ in cachexias tendunt, præcipue gignit.

THESIS VI.

Non hic omitto magnam animi in cogitando contentionem, ſeu longam meditationem, quæ, omnem interni ſenſus actionem occupans, conſumit ſpiritus, quorum materia ob motum vitalem & muſcularem in illa præparanda tam neceſſarium & tunc languentem ægre reſtituitur, & hinc literatos ob defectum ſenſim ſpirituum viriumque libris inpalleſcere & enervari mirum non eſt. Meditatio cum mœſtitia longe plus minuit vigorem corporis, & humores ſatis elaborari & ad ſecretiones inprimis perſpirationem inter motus tam languidos bene diſponi prohibet. Perſeverantes diu meditationes, ut magis diſſipant mobilia, ita reliqua plus figunt, inviſcant, refrigerant, retinent excernenda, obſtructiones chronicas pariunt,

craſſos,

craſſos, tenaces ac melancholicos humores accumulant. Patet etiam cur ita conſumtis ſpiritibus, nec reſtitutis motus cordis & cerebri torpeſcat, & Sanctorio judice, cordis palpitationes curatu difficiles; & frigiditates capitis invincibiles ſuperveniant. Nec inde patet minus, quid melancholia ſit, quippe longæ & mœſtæ inprimis cogitationis effectus. Imaginatio præterea quælibet ut eam notat ab actione objectorum firmiter impreſſam cum magna ſpirituum determinatione, eorum ſolitos antea motus mutante, ita mirabiles ſubinde in loco quo fixius hæret mutationes obſervantur. Lanzonus (Italus medicus) dolores in brachio vel pede natos poſt ſpectatam iis locis in alio venæ ſectionem. Wagnerus ortos in alia parte tumores, ubi in aliis nati inciſique eſſent: Timæus (von Güldenklee) in proprio capite genitos dolores ad ſimilitudiuem hæmicraniæ in alio examinatæ: alii ſimilia referunt, quibus maxime gravidarum hiſtoriæ.

Thesis VII.

Conſolatio animi pericharia, hilaritas, gaudium, lætitia vix niſi gradu differunt & conſiderantur tanquam affectus animi præ reliquis ſalutares, quo nervorum actio intenditur, & ſpirituum in nervos influens virtus augetur, & ſyſtole ac diaſtole cordis

excitata humores vegetius circumaguntur, ſubiguntur, aſſimilantur; ſecretiones melius procedunt, ſpiritus copioſiores & puriores gignuntur, ſuperfluum & noxium expellitur, maxime perſpiratio viget, pondus corporis levatur. Ad hunc affectum diſponit omnis evacuatio cum levamine, inprimis perſpiratio cocti cum augmento virium, nec minus ſubſidia coctionum, unde edulia quæ facile coquuntur, aperiunt & bene perſpirant, lætificantia appellantur. Pertinet huc cœlum ſerenum ſiccum & alia, quæ, ob ſpiritus puriores & robur a perſpiratione ſalubri expectandum, reddunt functiones corporis expeditiores, cum quarum ſenſu conjuncta eſt hilaritas, quæ inprimis mœrori ſuperveniens plus diſſipat accumulata; præterea ſalubrior eſt lætitia aliis moderatis affectibus mixta, quam ſola; veluti mixta corporis exercitia, itidemque meditationes circa res varias occupatæ melius feruntur. Ceterum ut moderata lætitia tantum ſuperflua diſſipat, & cum augmento virium, & moderatis corporis exercitiis uſu ſalubri convenit, imo ex parte horum ſalubritatem ſuperat: ita immoderata & nimis diu protracta, non modo ſuperflua, ſed etiam utilia diſſipat, plus atterit & exhaurit quam naturali actione reſtituitur, unde laſſitudo & gravitas ad ſenſum, ob nimiam illam agitationem & ſpirituum conſumtio-

nem vires diſſolvuntur, ſomnusque, in quo nervos jam nimia actione rigidos relaxari oportebat, impeditur. Propterea Sanctorius lucri cupidos, licet voto potiantur, vetat ludere, ob metuendas ex gaudio noctes inſomnes & amiſſam cocti perſpirabilis nimiam copiam. Multum quoque improviſum gaudium nocet, ob ſubita motuum augmenta & validiorem nervorum actionem a præcedente quiete pejorem; quippe jam cum periculo propelluntur liquida, vaſa dilatantur, imo rumpuntur. Ex qua ratione Gorterus ortam vidit Hæmoptoen, & Fernelius ipſam mortem in ſenibus & languidis. Prævifis autem gaudendi cauſis, corpus pedetentim diſponitur ad moderatiores motus ex gaudio oriundos.

THESIS VIII.

Mœſtitia nervorum robur ac actionem debilitat, ſpirituum humorumque motum tardat, ſolida laxat, fluida inſpiſſat, coctionem & ſecretiones infirmat, excernenda retinet & corrumpit, & perſpirationem inprimis cohibens ponderoſius corpus redditur ad ſtateram & ad ſenſum. Probat pallor & pulſus debilis languidam circulationem, prodit odor ſudoris, lotii &c. corruptelam retenti, arguunt anxietates tumoresque circa hypochondria inprimis ſtaſin inviſcati humoris & congeſtionem intra va-

ſa debilia cum duritie expanſa. Hinc ſenſim in mœſtis notantur anorexia (i. e. defectus appetitus) apepſia , febres inprimis quartanæ, calculi, hydrops , ſcirrhi viſcerum maxime meſenterii , hepatis & lienis, ſuppreſſiones lactis & menſium , ſudores frigidi ſæpe lethales, ipſa etiam peſtis , judice Rivino , corpus denique ignavum, flatulentum , a levi motu protinus laſſum, ingenium hebes , judicium vacillans. Plus nocet mœſtitia, dum cubitum itur , ubi ſolida magis relaxata propellunt ſegnius, unde altero die ob læſam perſpirationem ponderoſiores fieri Sanctorius docet. Diſponit etiam ſanos ad mœſtitiam impedita perſpiratio, nunc ab aëre cœnoſo , nunc majori craſſitie humorum , qualem ſæpe cibi inducunt; ut fit per legumina , carnes pingues ingraſſantes maxime in debilibus & infirmis : inde enim, quia ægre & cum moleſtia functiones in corpore onuſto & viribus privato ſuccedunt, ſenſus mœſtitiæ oritur; at oritur etiam ſub magna jactura perſpirabilium cum lapſu virium. Perſeverans mœſtitia, cujus plerumque effectus eſt melancholia, exacerbat omnia , & ob retentum craſſius perſpirabile frigidas carnes parit. Metus cum ſine mœſtitia non ſit, nec ſpes ſine lætitia , intelligitur & metus & ſpei ſub conjunctione per varios gradus mœſtitiæ vel lætitiæ nunc noxa nunc ſalubritas.

Thesis IX.

Terror ſubito magis quam mœſtitia figit (humores) , motum ſpirituum humorumque ac tonum ſolidorum labefactat , unde tremores in graves ſæpe ſpaſmos deſinentes, palpitationes cordis , deliquia animi , anxietates præcordiorum , pulſus debilis , extremorum pallor & refrigeratio , ſtaſes ſanguinis circa majora vaſa ob languentem vim impulſus , coagula lactis & ſimilia oriuntur. Suſpenſus vigor motuum & ſecretionum facit, ut appetitus paulo ante maximus cadat, flatus primas vias debilitatas occupet , ſub ortu variarum congeſtionum , ſalubre quod figitur, corruptelam ſubit , inſalubre quod figitur , morborum contagioſorum , in quibus nihil magis terrore læduntur , qui mentis ſunt imbecillæ , timidæ , ſuſpicacis , corporis debilis & mollis & humorum mobilium ut pueri & feminæ. At convaluiſſe paſſim terrore legimus , arthriticos , podagricos , quartanarios , herniofos , hydrophobos , & inprimis eos , quorum non ſiſti hæmorrhagiæ poterant. Anceps tamen & invita hæc medicina eſt , nec corrigit mali cauſam , ſed actionem ejus ſuſpendit , hinc vix niſi prudentioribus imitanda.

Thesis X.

Ira, cum ſit mœror ex illata injuria & cupiditas vindictæ, attendimus, quid prævaleat, ille mœror an cupiditas vindictæ. Prævalente

mœrore ſiſtuntur motus, fiunt coagula, maxime circa hepar, ubi in calculos concreſcit bilis, facies pallet, extrema frigent, cor palpitat, lingua balbutit, tremunt artus: prævalente ſtudio & ſpe vindictæ creſcit motus cordis & arteriarum, agitatio humorum, ſecretio ſpirituum, ſecretorum in muſculos impetus, functionum vigor, velocitas humorum, rubet facies, ſplendent oculi, pulſus & reſpiratio inſurgit, fitque levitas corporis ad ſtateram & ſenſum, dum leve non ſolum, ſed & ponderoſum perſpirat. Certum eſt, raro mœſtitiam & metum, plerumque vindictæ deſiderium & ſpem in ira prævalere. Unde Ariſtoteles olim dixit, iracundi non metuunt. Ira modice exæſtuans langueſcentem fluidorum motum in phlegmaticis, paralyticis, podagricis ſubinde ſalubriter intendit: at vehementior (ira) inſtar exercitii immoderati nervorum robur frangit, liquidiora diſſipat, epilepticis, ſcorbuticis, cholericis, vulneratis inſignes noxas parit, ut febres, hæmorrhagias, convulſiones, eryſipelas, apoplexiam ipſam, dolores pulſantes hypochondriorum, icterum & ſimilia. Nullos autem humores motus ex ira natus celerius afficit quam bilem, cujus tunc in duodenum copioſius pulſæ corruptela cum doloribus ſpaſticis fixisque circa umbilicum, flatus, vomitus, amaritiem in ore, anxietates præcordiorum & alvi vi-

tia generat. Crefcit iracundorum noxa hauftu vini & fpirituoforum aromaticorumque, maxime aucto fimul corporis motu. Unde patet, cur Hippocrates frictionem & palæftram in cholericis vituperet.

THESIS XI.

Cupiditas omnis, five in amore, five odio confiftat, ibi in nifu potiundi boni, hic in nifu arcendi mali verfetur, majorem habet fpirituum humorumque motum, vario tamen gradu fub mifcela fortiorum affectuum, tunc enim fpes potiundi fcopo, & metus illo excidendi comitentur omnem affectum odii & amoris; fit inde (affectus) nunc in lætitiam nunc mœftitiam pronior. Amator ille apud Tulpium ad auditam repulfam obriguit. Alter apud Cornarium ad latus affidentis puellæ amatæ, rupta frontis vena multum fanguinis effudit. Utrique vehementer amanti contrarium obtigit, dum ibi luctus & terror oppreffit motum, hic ad rupturam vafis intendit exundans gaudium. De cupiditate feorfim agemus.

THESIS XII.

Contra orientes quosvis affectus, optime vigilat vita fobria & negotiofa. Intemperantia ad turbulentos humorum motus difponens, fons eft etiam perturbationum animi. Hinc Pythagoræi a carnibus abftinu-

erunt, quod animi affectus iram & concupiscentiam alere crederent (non per se, sed per artem culinarem). Otium non minus latentem pravarum cupiditatum fomitem excitat. Dubium non est, qui cum vita sobria & negotiosa mature sociant praecepta & exempla virtutum, seque crebro adspectu affectuum cum dedecore & damno emergentium praemuniunt, inde tentari minus. Verum affectus jam natos reprimere longe difficilius est: vix enim objurgando, imperando, ratiocinando satis cohibentur. Vix satis praebent auxilii:

1*mo* Subtrahere objecta affectum moventia: quicquid enim non alitur, sensim extingui solet.

2*do* Contrarium animi affectum excitare, adeoque alium jam spirituum motum inducere: ita meticulosis audaciam, iracundis metum, amantibus pro amore odium parare.

3*tio* Cogitationem ad alia objecta convertere, ad lusum, venationem, peregrinationem consortia amabilia. Fuerunt, qui firmiter defixi in alia cogitatione vicerunt ipsos dolores calculi, podagri, dentium. Huc spectat prae aliis

4*to* Musicam adhibere, qua nihil magis pacare nervos, sopire animum & ab affectu liberare visum olim est Asclepiadi. At interest scire, an illi, quibus consulere

cupimus, musico concentu delectentur, & quali inprimis (tunc sæpe sopitur animus): nam sine hoc selectu in multis parum proficimus.

5to Perspirationem promovere, qua imminui immoderatos affectus Sanctorius docet, maxime eos, qui lædunt vigorem perspirationis & aliarum excretionum, ut tristitiam & terrorem. (Inde etiam est, quod suadeant urinam & alvum ab omni statim nato pathemate solvere.)

6to Denique caute medicina uti. Tutissimum est post natum affectum ab omni cibo solido ac potu inprimis ac aëre frigido cavere, corpus quiete refovere, infusum Theiforme perspirationi favens bibere. In ira etiam venam secare vel alvo exonerare biliosa, quæ in corruptionem vergunt, sæpe convenit. In terrore ipso etiam cardiaca quædam sumere (e. gr. aquam cinam. c. pauxillo salis volatilis.) In lentis affectibus laudatam a quibusdam temulentiam cum Joanne Bohnio rejicimus, nec in mœrore vinum generosum nisi valde modicum suademus.

CAPUT VII.

DE VENERE SEU EXERCITIO VENERIS.

Thesis I.

Semen humanum, quod veteres a cerebro & ſpinali medulla derivabant & multi a ſingulis corporis membris ſegregari putabant, eſt humor ultimæ perfectionis a corpore virili ſano nec juvenili nimis nec ſenili (elaboratus) ab arterioſo ſanguine mirabili teſtium fabrica ſecretus & per multa ſepta intermedia in cavum aliquod, quod corpus *olorimum* vocant, congeſtus, per Highmori dorſum currit & excurrit (flexuoſa via) ad epididymidem, hinc vaſe deferente ad veſiculas ſeminales tendit, denique retrogrado motu per vaſa ejaculatoria in urethram hiantia (in oculos capitis gallinaginis) effunditur. Semen hoc ab utraque arteria ſpermatica, quæ ad utrumque latus ex aorta emergit, in minimos ramulos flocculoſque, ubi tunicam nerveam teſtis perforavit diviſa, poſt tot reſiſtentias ſuperatas ſecretum, comprehendit incredibilem animalculorum copiam, in nullo alio liquido humano occurrentem, ut hinc a multis pro

rudimento fœtus habeantur, quia semper sunt in semine prolifico, non semine ad prolificandum inepto, velut juniorum seniorumque, vel etiam gonorrhœa infectorum (vel alio vitio seminis). Et quia in solo semine sunt etiam aliorum animalium. Denique quia cum iis forma primi viventis in ovulis inprægnatis convenit. Præstantiam seminis evincit, quod sub ætate illa, qua vis generandi incipit, mutentur corpora & virili robore instruantur. Si nimis effunditur, debilitentur extreme, si non amplius segregatur, ut in castratis, effœminentur. Wharton ait vigecuplum sanguinis e corpore sublatum minus enervare quam simplum seminis: imo hoc magis secundum Avicennam, quam si tantum sanguinis quadragies effundatur. Certe humor, quo elaboratior est, eo plus evacuatus debilitat.

THESIS II.

Quemadmodum voluptas ex victu ad sustentandam vitam, ita voluptas ex coitu utriusque sexus ad procreandam sobolem ingenita est. Probi haud magis ad sensum voluptatis quam naturæ attenti moderate stimulis illis obediant, qui a vasis semine copioso turgidis & organa generationis irritantibus pendent; non autem illis, quibus mens ipsa sibi libidinum fomitem inter lascivas imagines instruit. Magna hic abstinentia vix un-

quam lædit debiles, robustis interdum tumorem testium parere, perspirationem cohibere & graviora mala inducere creditur; quasi semen in loco secretionis tenue, in loco collectionis lentescat. At resorberi secretum semen cum vigore corporis & noxam ex illo retento coargui raro posse, castorum hominum constantior valetudo & durabilior venus evincit. Facit interdum acrior victus, ut sub intempestivis stimulis retentum semen ægrius retineatur. Bene Sanctorius suadet, calidis & robustis ad coitum propensioribus, temperare sibi tanquam a nimio exercitio. Ita enim agiliores fieri, & melius perspirare. Hinc certe solida manent molliora & flexiliora, spirituumque jactura & lentor humorum præcavetur.

THESIS III.

Salutaris est coitus moderatus a stimulo naturæ non lascivientis ingenii natus:

1) *In juvenibus*, qui in mollitie vasorum, robore musculorum, copia virium facilius ferunt ejusmodi dispendium, hoc etiam, an excitari functiones animales ob motum, naturales ob expulsionem superflui, vitales ob lætitiam in coitu comitem, ut Sanctorius censet, fas est cum Gortero dubitare.

2) *In robustis*, in quibus non plus perditur quam reparatur.

3) *In salacibus hilaribusque*, quorum quo major est coëundi cupiditas, eo fertur facilius.

4) *In assuetis*, qui semper minori noxa evacuant, quam retinent: aliter natura se habet resorptioni, aliter evacuationi assueta.

5) *Cum muliere valde amata*, ob consolationem animi, quæ majorem nervis fibrisque vigorem inspirat.

6) *Ratione temporis a somno*, ubi corpus agile est, coctis humoribus refertum spiritibus abundans & salubriter perspirans.

7) *Ventriculo vacuo*, certe in opere coctonis minus occupato.

8) *Verna maxime tempestate*, ubi corpora fere omnium animalium plus vigent, tutissima vere venus est, Celsus ait. Signa opportuni coitus sunt: nulla inde lassitudo, nec mutatio ponderis, quod signum est salutare post omnes evacuationes, & notat valere vires & supervacaneum ejectum esse. Addimus speciatim urinam bonam, quæ nullum in coctione vitium, agilitatem, quæ integrum vigorem motuum animalium, facilem perspirationem, quæ liberum inprimis per pulmones bene constitutos fluxum sanguinis declarat.

THESIS IV.

Insalubris est immoderatus coitus, maxime 1) *In debilibus* omnibus, qui minus

ſpirituum conficiunt, & quorum proinde vires minus reſtituuntur poſt illam jacturam humoris, quæ robuſtos etiam debilitat: læditur coctio, minuitur perſpiratio, pondus corporis augetur. Pythagoras olim quæſitus a quodam, quando cum femina coeundum ſit? tunc inquit, ſi voles de ipſo coitu debilior fieri.

2) *Senibus*, quos vel moderatus coitus, monente Sanctorio, frigidiores reddit & ponderoſiores. In iis debilitas virium, quæ non plus conducit, quam ad proprium corpus ſuſtentandum facit, augetur omni diſpendio. Abſtinendum iis ab omni validiori motu corporis eſt, maxime illo, qui cum jactura tam elaborati humoris conjunctus eſt.

3) *Junioribus*, ætate non ſatis confirmata, illo enim præmaturo feminarum complexu vitam brevem fragilemque reddunt, & incrementum corporis ſuſpendunt. Veterum Germanorum robur tardæ veneri adſcribitur, quod pares ac validi miſcentur. Lex Lacedæmoniis permiſit anno ætatis 25, Ægyptiis anno 35 matrimonium inire.

4) *Siccis*, *calidis*, *macilentis*, quibus etiam adultis rarior militia convenit in caſtris veneris: nam humectatio & flexilitas corpori tam neceſſaria, a coitu multum ſiccante, læditur, & in his corporibus maxime bilis exaſperatur. In macilentis plus caloris eſt,

& a calore major exsiccatio, hinc & ebriosis dissuadenda venus.

5) *In magna musculorum tensione constitutis*; ita stantes coitu magis debilitantur; negat quidem Gorterus situm vel stantis vel decumbentis tantopere differre; at palam esse fatetur, fatiscere spiritus in uno opere, si pluribus impenduntur.

6) *Statim a cibo sumto*, a quo subigendo non sunt præsidia coctionum avocanda, ne cruda maneant ingesta & oppleant corpus. Dum est coëundum, inquit Sanctorius, parum vel nihil comede; dum est comedendum, contra.

7) *A motu*, quo etiam magis quam a cibo lædit coitus: nam a cibo vires adhuc sibi constant, licet in aliud opus intentæ; a motu vero exhaustæ vires deficiunt, in quarum penuria nova causa infirmans magis metuenda est.

8) *Æstate*, in qua magis quam vere & hieme coitus fugiendus, quia debilior æstate coctio minus restituit perdita. Celsus venerem nec æstate nec autumno utilem censet, tolerabiliorem tamen per autumnum: æstate, inquit, si fieri potest, in totum abstinendum. Hinc quoque in locis calidioribus plus semper resolvit venus & citius terminatur. Idem monendum de omni tempestate calida & humida, quæ plus relaxat & enervat solida. Addimus signa insalubris

coitus: nempe somnum a coitu laboriosum, (turbulentum Müdigkeit) qui notat plus coitu ablatum esse, quam somnus coquit & restituit, inprimis vero id produnt diminutæ corporis vires & suspensa salubris perspiratio.

Thesis V.

Duo sunt, quæ in coitu debilitant:

1*mo* Motus corporis succussantis cum magno animi affectu. Negat Gorterus hunc motum debilitare multum. Id vero vel inde apparet, quod, qui post breves motus cito effundunt semen, minus infirmi evadant, quam qui tarde & inter prægressas crebras succussationes effundunt.

2*do* Ipse effluxus seminis, cum quo omnino, judice Gortero, plus cadunt vires, quam a motu. Notamus vero cum Sanctorio, si semen plane non effluit in coitu, non modo exiguam esse debilitatem, sed nec altero die notabilem, si tunc emittitur. Addit Sanctorius, ut rationem reddat, agitationem corporis in coitu, more canum, plus debilitare, quam seminis effluxum, quod hic sola viscera, ibi & viscera & nervi omnes debilitentur. An vero suppresso semine facile sit in tumorem testium incidere, ut idem Sanctorius metuit ob seminis nempe ad illa loca collecti & inperspirabilis lentescentis copiam, parum credibile

le eſt. Reſorberi enim poſſe notavimus cum vigore corporis, ſique nimis abundet, vel novo coitu vel ſponte elabi.

Thesis VI.

Immoderatus coitus, ratione ætatis & temperiei æſtimandus, corpus animumque enervat, & inter conſumtiones ſpirituum ſeminisque, a quo tantum virilis roboris pendet, ſemper nocet in omnibus relaxando tonum ſolidorum, motumque fluidorum minuendo. Speciatim notamus oriri inde:

1) Jacturam naturalis caloris. Dum enim ſolidorum minuta virtus debilius circumagit, & fluida decreſcente motu lenteſcunt, neceſſe eſt ſub virium lapſu totum corpus refrigerari. Hinc, ut cum Sanctorio dicam, in hepate bilem, in renibus nephritidem, ſtomacho cruditates, in capite catarrhos, in corde palpitationem & ſyncopen ſæpe naſci.

2) Debilitatem nervorum & inopiam ſpirituum ipſam cerebri ſubſtantiam minui venere creditum olim eſt. Certe debilitari notat Diœmerbroeck, exſiccari Ettmüllerus. Manifeſtum eſt ob læſam cerebri actionem vacillare memoriam & facultates animi, & ob ſpiritus in cor, vaſa & muſculos jam parcius influentes palpitare cor, vaſa & muſculos tremore compelli, & imbecillitatem genuum artuumque oriri.

3) Defectum virium coquendi & aſſimilandi, unde coctio cibi in chylum , chyli in ſanguinem, ſanguinis in alimoniam corporis vitioſe procedit , quod ipſum eſt, cur a coitu ſtomachum inprimis lædi & refrigerari , primasque vias flatibus diſtendi, cum Sanctorio obſervemus.

4) Inhibitam perſpirationem , ut enim mala nimii coitus pendent proxime a læſa coctione , ſic remote a læſa perſpiratione. Ad hanc enim cum materia requiratur rite præparata , & vis valide expellens , hic neque poſſunt materiam dare humores lenteſcentes, nec expulſioni ſufficere, labefactatus ſolidorum tonus. Sequitur hinc ponderis augmentum inter eadem ingeſta , niſi alvi fluxus vel alia evacuatio ſalubris intercedat, quæ ex parte craſſa tollit.

5) Diminutionem viſus : neque enim poſt ſtomachum ulla pars plus læditur quam viſus , nec ulla pars inſignioribus nervis gaudet; fiunt hinc ſubductis ſpiritibus fibræ rugoſæ , meatus impervii , humores opaciores, nec pauci reperiuntur a venere nimia cœcutientes, & ipſa amauroſi affecti.

6) Vitia renum & hepatis, quod ibi bilis, hic lotium ſubeant celerius corruptelam & acres ſtimulos ſuſcipiant, unde caleſcere illa loca, ibi nephritidem (& mictum cruentum) hic bilem porraceam cum morſu ventriculi naſci, notat Sanctorius. Siccitas,

macies, tabes dorsalis, calores hectici & alia, uti omni profusiori evacuationi, ita huic inprimis superveniunt.

7) Praematurum senium: nam judice Aristotele, omnia salacia citius senescunt, exemplo passerum, una hora vicies, ut scribunt, coeuntium, nec ultra annum viventium (& semen non visa solum femella sed modo audita voce emittentium.) Ita patet, omnia fere mala pendere a virium & caloris naturalis defectu. Unde eversis coctionum praesidiis, cerebrum, cor, stomachus, visus, memoria, perspiratio maxime laeduntur. Notamus inter haec, non statim ab immodico coitu has noxas apparere, quia nervorum tensio aliquamdiu subsistit: at mox resolutis nervis cadere vires & spiritus deficere, & maxime post somnum, qui aliquando mederi his vitiis solet, damna demum coctionis & perspirationis conspicua fieri.

THESIS VII.

Noxam coitus immoderati corrigit, quicquid eversa coctionis & perspirationis praesidia erigit, & solidis tonum suum restituit. Proinde cibi requiruntur pauci & bonae alimoniae ac facilis coctionis & perspirationis; velut in omni debilitate conveniunt cibi pauci ac levis materiae, qui restituunt vires sine magno molimine (coctionis). Copio-

ſus cibus judice Sanctorio hic occideret, niſi aliqua cibi corruptela ſuperveniret. Tunc autem corruptum alvo ſecedere, non ſanguini per lactea miſceri ſalubrius eſt. Si alvus non liberat, morſus ventriculi, dolores colici, anxietates, ſyncope, & poſt tranſitum in ſecundas vias graviora mala ſequuntur. Abſtinendum autem eſt, velut a copioſo, ſic a viſcido & flatulento cibo, quamdiu vires, quæ ſubigunt ingeſta & præparant, languent (e. g. oſtrea, impr. muſtum) & crudi in primis viis longa mora, in ſecundis noxia miſcela cum inquilinis humoribus metuenda eſt. Præterea rarior jam veneris uſus convenit, ita enim brevi nec difficulter ſequitur regeneratio perditi in corpore robuſto inprimis & juvenili.

Thesis VIII.

Remedia, quæ viribus ad coitum inſtruunt, talia ſunt, ut vel medeantur inopiæ ſeminis, vel illi, ſuis locis accumulato, ſtimulum pro expulſione concilient. Priora ſunt, quæ bonum chylum & ſanguinem parant, eumque deinde ad teſtes & organa genitalia magis determinant; ibi lac, ova, & alia opipara copioſe nutrientia & confortantia (e. gr. amygdalæ, cynaræ, pineæ, piſtaceæ, cicera, fabæ, farinaceus panis non fermentatus, carnes columbarum, perdicum &c. &c. cochleæ, oſtreæ) valde pro-

ſunt. Addito deinde blando frictu & fotu & inunctione balſamica ad teſtes, (ut olea, balſama de Peru, Copaiva, Cataplaſmata ſcroto applicata ex aromatibus &c.) Poſteriora ſunt, quæ nerveum liquidum excitant ac Priapiſmum inducunt, (ut Gummata aromatica, Mirrha, Aloës, Galbanum, Balſamus de peru, Mecca, Copaiva, opobalſamus, olea aromatica, Caſtoreum, Cantharides &c. &c.) non niſi præmiſſis prioribus adhibenda. Adde hic exercitia ut equitationem; ita Ariſtoteles equitantes libidinoſos dixit. Huc ſpectant Medicamenta volatilia aromatica, ſalina ſtimulantia, quæ ſanguinem movent, nervosque afficiunt, haud excluſis cogitationibus venereis, quæ fomitem alunt: Imo nec verberibus, velut Joh. H. Meibomius de flagrorum uſu in re venerea ſcripſit. Debiles & ſenes ad priorem claſſem confugiant, altera timide utantur; idque notent, ſemen aut ultro confici, corpore vigente & bene nutrito, aut nunquam facile. Imo nec robuſtiores altera claſſe inprovide utantur, memineritque ablatos effuſo ſemine ſtimulos, majorem mox debilitatem & faſtidium actorum relinquere, unde vulgare illud, omne animal poſt coitum triſte.

Thesis XI.

Remedia, quæ ferocientem compeſcunt, in actione oppoſita conſiderantur, qua ſeminis tum geneſis tum ſtimulus inhibetur. Huc ſpectat:

1mo *Vita laborioſa & ſubauſtera*, quæ in crebris laboribus, vigiliis & parciſſimo victu conſiſtit. Ibi ſpiritus ad alia munera avocantur, hic non plus generatur, quam proprii corporis conſervandi neceſſitas requirit. Caſtæ veteribus habebantur Pallas, Diana & Veſta, ſine dubio quod prima militiam, altera venationem, tertia ſobriæ vitæ ſeveritatem ſequeretur. Hinc ſuademus, dum ſurgunt ſtimuli ad venerem, ad alias ſtatim accedere exercitationes, vel frugalem ſibi & macilentam Diætam imponere, quæ certe ab opiparis & vinoſis abſtinet.

2do *Vitatæ illecebræ amorum*, ut puellarum commercia & de rebus venereis colloquia, ad exemplum Thyamis & Clitomachi Athletæ. Quid mali olim apud Græcos ipſius Veneris Gnidiæ ſimulacrum, apud Romanos communis utrique ſexui balneorum uſus pepererit, notum eſt. Adde turpes hodie & obſcœnas imagunculas, quæ juvenilem amorum fomitem cum periculo accendunt.

3tio *Uſus refrigerantium*, quo nomine occurrunt varia. Pedum nuditatem Plato

& Aristoteles docuerunt, incendia veneris restinguere, ut symbolum castitatis olim esset nuditas pedum, cum qua Pythagoras voluit Diis sacrificari, scelestis habitis, qui calceati templa ingrederentur. (Phocion & Cato nunquam nisi sæviente bruma calceati ibant.) Ipsa demersione in frigidam Evagrius olim & Apollonius represserunt æstum venereum, & similiter Martialis Athletam Pataram pro libidine refrenanda totum corpus gelida perfrixisse scribit. Quidam teste Plinio & Galeno pro eodem scopo plumbeas laminas renum & lumborum regioni imposuerunt. Huc pertinet simplex esus olerum fructuumque humidiorum, ut lactucæ, portulacæ & cucumerum a tot autoribus commendatorum cum simplici potu aquæ, inprimis acetum & nitrum in summo æstu venereo ut maxima refrigerantia laudantur.

4to *Usus exsiccantium* & *emaciantium*, ut piperis, Thymi, tabaci, rutæ, vini rutacei, seminum cumini, anisi, quæ tamen in humidis frigidisque stimulant potius. Unde rutam & Thymum in viris cohibere venerem in feminis excitare docent Salernitani. Ceterum rejicimus remedia tum molliora, velut indultus amor, quo filium sanavit Diogenes, vel quo Valerius, ut amatam negligeret filius, alterius potiundæ facultatem dedit; tum duriora illa, ut Cratetis, qui afflictim amantibus famem, tempus &

tandem laqueum ſuadet. Alii etiam moroſi magis & ſuperſtitioſi, quam pii, genitalia ſibi præcidi permiſerunt.

CAPUT VIII.

DE APPLICATIS EXTERNIS.

Thesis I.

Inter hæc eminent, quæ cuti contra externas injurias tegendæ vel purgandæ detergendæque in valetudinis tutelam ſerviunt, & omnem vim aliam externam, quantum in nobis ſitum eſt, arcent.

Thesis II.

Pertinent huc 1*mum Integumenta*, quibus nudum corpus contra externas maxime tempeſtatum injurias defenditur. Dedit natura reliquis animalibus villoſa & mollia ex parte dura tegumenta (e. gr. cancro, oſtreæ,) homini, ex his vel aliis pro ratione variorum temporum eligeret, quæ indigentiæ ſuæ magis convenirent, optionem reliquit. Major hæc indulgentia naturæ eſt, qua tamen in luxum abuti homines inter varios vitæ errores omni ævo conſueverunt. Opus hic

non tam externo corporis ornatu erat, quam vera tutela corporis contra offenſas valetudinis ſub immitiori çœlo metuendas.

THESIS III.

Primam ætatem faſciis tuemur, quæ tamen, arctius ſtringentes ſæpe prima motuum animalium tentamina, prohibent, varia partium miniſteria corrumpunt, (ut aurium) & ipſi incremento teneri corpuſculi multum obſiſtunt. Pueri alacriores ad motum egent minus vi externa validius coërcente; bene eſt caute illos adſueſcere aëris viciſſitudinibus. Ita ſub dio verſantur agricolarum filii veſtiti male & hinc robuſtiores. Moris olim erat nudos in Gymnaſiis exercere, ne excluſis quidem puellis. Ita Germanorum parvulos labori & robori ſtuduiſſe, legimus apud Cæſarem. Quicquid veſtium eſt in hac ætate ſit laxius, ne incremento ponatur obex. Peccant qui ex metu deformitatis pectus thoracibus (Schnürbrüſten) ſtringunt, plus adoleſcentibus metuenda eſt imaginaria ſtrictioris veſtis elegantia (müſſen knapp anliegen:) Unde ſub incrementi termino crebræ hæmorrhagiæ (oriuntur.) Notetur idem de puellis ſub primo menſium fluxu ſemper ob arctiorem veſtitum difficiliori, gravidis quoque frequens inde abortus eſt.

Thesis IV.

Ratione varii temporis, quo nunc frigus urit nunc calor, bene quidem hieme vestibus densioribus & crassioribus, æstate levioribus & tenuioribus utimur, at cauto gradu ab uno ad alterum genus transeundum est, nec adsuetæ vestes hiemales prius quam mense ante solstitium æstivum temere ponendæ, quia plures pereunt subita vicissitudine caloris & frigoris, quam peste, gladio & fame simul, ut judicat Sydenham. Vix Cheynæus merito Germanos carpit, quos ait hiberna vestimenta maturius sumere, nec nisi adulto vere ponere. Potatoribus putat suaderi hoc posse, ut sudent liberius, non sobriis, quos ut adsuescant variis cœli injuriis, tenuiter vestitos transigere æstatem, ipsam etiam hiemem suadet; & palam esse putat, vestimenta multa & magni ponderis commercium aëris nimis intercipere, (perspirabilia evacuare nimis) fibras debilitare, vires frangere. Nec inficiamur quod Keilius submonuit, multa & magni ponderis vestimenta perspirationem nimis intendere, & hinc fibras vasorum emollitas & maceratas resolvi, viresque debilitari. At quo contractiliora & firmiora sunt vasorum excretoriorum oscula, hoc salubrius illa dispendia sisti. Verum hæc non excusant tenuis tegminis, quod aëris & tempestatum

injurias arcere nequit, longe luculentiores noxas, infirmioribus inprimis metuendas, quas Sydenham maxime ante oculos ponit, & plurimarum febrium originem ex veſtibus hiemalibus præmature abjectis deducit. Imo Sanctorius nulla inquit ægritudine nos vexari autumno, ſi ſuperveniens frigus nos veſtibus rite munitos reperit: His vero præmature & ſub initio veris poſitis æſtivas febres & in progreſſu autumno tarde ſumtis defluxiones in hieme ominatur. Sane paucorum hæc eſt felicitas, qui duræ & variæ vitæ caute & per gradus adſueverunt, ut negligere hanc cautelam poſſint.

THESIS V.

Non omnes partes æqualem in tegendo ſollicitudinem requirunt. Capiti leve tegmen ſufficit; imo fortaſſis hoc ſolum, quod natura dedit. Celſus nil magis ſtatuit capiti prodeſſe quam aquam frigidam. Certe caput, quod nimis tegitur, laborat perpetuo & ad omnem aëris offenſam Catarrhis & doloribus vexatur. Noli tamen pravam circa hæc conſuetudinem in ſenibus emendare, nec niſi caute & per gradus in aliis. Magis ſollicite tegendi ſunt pedes, ut calor extrema, ubi circuitus humorum languidior, ſatis defendat & ſtaſin in iis cohibeat. Magna olim religio fuit & reverentia nudipedum, at hi vindicari diu ab incommodis

valetudinis nequeunt, nisi sub crebro pedum exercitio.

THESIS VI.

Materia ad vestitum, habita valetudinis ratione, etiam differt. Sacerdotes Ægypti non nisi lino vestiebantur, spreta lana & velleribus, quod animalium sæpe morbosorum recrementis scateant. At, ut ipse Deus primis hominibus vellera dedit, ita nec ab aliis abstinendum scopo salutari. Si suspecta est lana, quod scabiosa sæpe sit ovis, vix illud valet de lana lixivio probe elota: Rejecta tamen sensim sunt indusia de lana, quia sub fotu frictuque corporis plus inquinat mador. Sudatio protractior est instar Diabetis: Nocet ita molliri nimis & macerari vasa cutanea. Sunt tamen qui lanam colore carmesino tinctam maxime ad pectus laudant. Lintea ajunt recens instrata vel corpori vel lecto sæpe nocuisse in morbis malignis, ut peste, quod subinde saponi & lixivio tribuendum, non quod contagium in linteo facilius transferatur, quam lana. Nec sericum, nec bombycinam telam (Baumwolle) nec alia sub legitimo & cauto usu damnamus. Nullus ubivis justior est quam contagii metus, ob quem solent exuri tempore pestis vestes inquinatæ mercesque ex loco affecto allatæ. Neque est tuta hæreditas vestium, quas tulerunt podagrici vel

51: 52: 53: 73: 74

7: 21: 52: 73: 62

4: 13: 36: 52: 73.

2 : 15 : 21 : 42

0	24 : 8
0	21 : 0
0	8 : 0
0	7

phthifici : Unde tales evaferunt ii, qui antea nihil hujus morbi habuerunt. Nec funt temere veftibus odorata infpergenda ; funt enim fæpe in focietate humana, qui odorata non ferunt fine deliquio animi &c. quod maxime medicis notandum , quibus crebra cum imbecillioribus & in fpafmos pronis res eft.

Thesis VII.

Inter ea, quæ propius cuti purgandæ ac detergendæ , viisque perfpirationis expediundis ferviunt, eminent *Balnea* magni non modo in fanandis fed & præcavendis morbis momenti. Ideo olim omnibus fere gentibus familiaria fuerunt. Ægyptiis præfertim , Græcis & Romanis , quorum luxui fplendida fabrica balneorum ferviit. Inter medicos Afclepiades & Cælius Aurelianus magnam huic remedio famam conciliarunt. Si noftra ætate maxime circa oras feptentrionales ille balneorum ufus nonnihil eviluit: Fatemur quidem, cum veterum exercitationes gymnafticæ defierint, & mundior ufus linteorum indufiorum fuccefferit laneis, corpora etiam noftra minus fudorum fordibus inquinentur, non prorfus tantæ ac olim neceffitatis apud nos balnea effe: Nihilominus moderate & tempeftive adhibita plurimum adhuc veræ utilitatis promittere.

Thesis VIII.

Balnea ſunt vel frigida vel calida, hæc (calida) ut frequentioris uſus primum conſideramus, inque ſicca & humida dividimus. Sicca raro ſunt uſus diætetici, & ſolent plerumque, qui in calore hypocauſti ſudant, ſimul externam ablutionem admittere. Erant, qui in fimo equino ſe abdebant, ad eliminandum morboſum: Alii pro eodem ſcopo uſi ſunt inſolatione, qua corpus ſoli diutius exponebant. Talia certe noxia ſiccis exhauſtisque corporibus; proſunt aliquando validioribus inter potulenta quæ emendant probe & eliminant. Sudores etiam in arena fieri ſolebant, imo & clibano, at maxime ſtupha adhiberi conſueverant, quæ eſt arcula ita compacta, ut aërem calidum coërceat, & nihil ſuperne quam caput emineat, deflagrat intro ſpiritus Sambuci, Juniperi aut ſimilis, ſub juſta cautela, ne copioſior flammam concipiat & corpus adurat. At facile apparet, ad ægros hæc pertinere magis in gravioribus morbis, raro inter diætetica auxilia locum reperire.

Thesis IX.

Balnea calida humida vi ſolius aquæ calidæ, quæ ſuo in corpus ingreſſu lubricat, humectat, viſcida ſolvit, obſtructa reſerat, acria eluit & demulcet, cum luculento in

multis morbis commodo. Speciatim partes externas duriores ſtrictioresque relaxat ac mollit, a qua emollitione, magna eſt balneorum ſalubritas in contracturis, ariduris, artuum frigiditate & impotentia. Si hac ratione ab infra emollis, alvus mobilior, lotii, menſium, hæmorrhoidum fluxus expeditior, imo partus etiam facilior ſequitur. Quo purior aqua eſt, eo promtius minima vaſa cutanea ſubit, permeat & per ſecretoria & excretoria expurgat. Adeoque maximus uſus eſt 1*mo* in ſiccitate, ſcabritie, tenſione, contracturis, ſpaſmis ſolidorum & doloribus inde natis. Patet ideo cur bilioſis, emaciatis, melancholicis, hypochondriacis, hyſtericis, maniacis nihil fere plus proſit. 2*do* In acrimonia humorum, unde ſcorbuticis, ſcabioſis, cacochymicis, venereis, imo ipſis hydrophobis convenit, eluendo impura & per tubuloſæ cutis cribrum, ita eliminando ut mira ſubinde craſſi fœtidique copia in aquis balnei hæreat. Ipſa mors naturalis cum maxime pendeat ab exſiccatione & rigiditate ſolidorum ac lentore fluidorum eam ſenibus imminentem vi ſua molliente & irrorante retardant balnea, per quæ rejuveneſcere homines credidit antiquitas, & Medeæ balnea ſimiliaque finxit.

THESIS X.

Duplex eſt horum balneorum ſpecies vaporis & immerſionis. Illud, quod vaporum dicitur, aquam in halitus reſolutam ſub cerato induſio corpori æquabiliter circumfundit, cum ingenti effectu penetrandi, diluendi & ſtaſes diſſolvendi. Balneum immerſionis vel fit ad crura & tunc pediluvium vocatur, vel ad umbilicum & tunc ſemicupium audit, denique ad collum ſolo exſerto capite aquis tepentibus immergit. Vi caloris creſcit humorum circuitus, & dum extrema ſuperficies aquarum mole premitur, major fit motus ad liberiora vaſa cordis, pulmonis & cerebri. Unde in iis maxime, qui plethoræ & cephalalgiæ incommodis ſunt obnoxii in nimio balnei æſtu cor palpitat, anxietas præcordiorum ſentitur, deliquia animi fiunt, febris etiam in corpore impuro exſurgit. Si moderatum calorem ponimus & corpora bene diſpoſita ſunt, vis balnei cutem mollieus relinquit tumentem corporis habitum, ut vaſis cutaneis relaxatis jamque a preſſu liberatis plus affluat humorum, inprimis ſub tepore lecti. Recte utuntur tali balneo, qui ante ingreſſum ejus primas vias a ſordibus repurgant, & in plethora detrahi ſibi ſanguinem permittunt. Ipſum vero balneum mane & veſperi adeoque remotiori paululum tempore a cibo ſum-

to adeant, nec illud calidum nimis; denique ab eo redeuntes ſtatim lectulum petant, ſumto juſculo & vitato omni frigoris acceſſu, probam perſpirationem exſpectent. Rectius ab eo abſtinent debiles, laxi, humidi, in quibus ſolidorum tonus plus relaxatur. Abſtineant quoque creſcentes, tumentes & ad ſyncopen proclives, crapulæ quoque & victus erroribus dediti, nauſeaque & vomitu laborantes.

THESIS XI.

Ad hæc balnea referri etiam naturalia & mineralia poſſunt, ad quorum uſum internum externumque multi in dubia valetudine confugiunt. Inter illa ſunt, quæ levitate aquas pluviales æquant, & fere nihil elementi mineralis ac ſalini vehunt. Hinc nec ſolutione metallorum nec ſpiritu acido vel alcalino turbantur, nec a ſolutione gallarum vel ſyrupo violarum colorem mutant. Hujus indolis ſunt thermæ Tœplicenſes, Hirſchbergenſes, Schlangenbadenſes & proxime Wisbadenſes. Major ſeries eſt aquarum mineralium, martialium inprimis & ſalinarum, uti Carolinarum, Pyrmontanarum, Spadanarum &c. His opponimus balnea ex decoctis herbis & radicibus, maxime emollientibus parata, quæ virtutem pro ſcopo medico intendunt & alterant. Sunt, quæ ex lacte, ſero lactis,

oleo olivarum ſimilibusque parata in nervorum doloribus & ſcorbutica humorum prurigine opem ſæpe efficaciſſimam præſtant. Adhibentur præterea ſed rarius ex ſpiritu vini valde diluto in ſumma extremorum laxitate. Balneum ex formicarum acervo contuſo & cum aqua calida decocto paralyticis, ut inſideant, commendatur. Ne dicam de artificialibus multis ut ſuccinatis, qualia raro ſolis præcavendi morbi indicationibus ſerviunt.

THESIS XII.

Conveniunt his balneis proximo effectu fomenta & Clyſmata, licet horum actio minus ad uſum univerſi corporis directa ſit. Veluti fomenta parti uni vel alteri ſcopo adſtringendi, roborandi, diſcutiendi, vel etiam emolliendi ſopiendique ſerviunt. Ita Clyſmata quaſi interna balnea ſcopo humectandi, alvum ſegniorem ſollicitandi, flatus diſſipandi, ſpaſmos doloresque mulcendi, acria temperandi, imo & nutriendi ac ſtimulo ſuo ex remotiſſimis locis (e. gr. capite) morboſum revellendi. Ita proſunt, ut utrumque auxilii genus etiam aliquando in diæteticis ad præſervandum corpus reperiat locum, & in uſum familiarem domeſticum dudum receptum ſit.

Thesis XIII.

Non omittendus eſt frigidorum balneorum uſus, ævi priſci & ipſius Hippocratis ſuffragio nixus. Lacedæmones ac veteres Germani & Celtæ puerorum corpora frigidæ immerſerunt, ut durabiliora redderent. Ita Jul. Cæſar prolui promiſcue in fluminibus Germanos ſcripſit, nec aliud iis balneum eſſe quam in apertis fluminibus & rivis, addit Herodianus; & Mela ſimul magnum ſtudium natandi ac patientiam tribuit. Cujus rei dum etiam Conringius ex Tacito meminit, ſimul judicat, non minus forte robur ſuum ex frigidis, quam corporum proceritatem calentibus debuiſſe. Chermis damnato calidorum balneorum uſu per hiemem etiam frigidis uti jubet; & mergi ægros in lacus. Spem ſalubritatis confirmat recentiorum ſcriptorum crebra experientia. Ita Hermannus von der Heyde commendat hydrophobis; & Franciſcus Fullerus ad robur corporis augendum crebrum frigidorum uſum laudat; & Floyerus multos periiſſe cenſet qui ejusmodi balnei ope eſſent ſervati: Imo credit, ex quo infantes deſierant ſacri lavacri undis immergi, tot rhachiticos in Anglia notatos eſſe, quos optime aqua frigida ſanat. Miratur Cheynæus hanc immerſionem corporis in aquam frigidam, cum a Deo ipſo per Moſen præſcripta ſit, adeo-

que salubrem & tanto imperio sancitam, hodie exolevisse: Cum cutanei meatus a pingui sorditie crebra hac ablutione abstersi, pateant magis perspirationi, & circuitus humorum per minima sustentetur. Nec vero quod simul notandum vitia aëris poros a frigore arctiores facile subeant. Ergo omnes infirmos frigidarium in commodo ædium loco instrui, cui se omni biduo vel quatriduo immergant, hieme æque quam æstate suadet Cheynæus, & ut ii, quibus hoc non licet proximo rivo aquæ se immergant, modo non fiat cum ventriculus cibo crudo aut corpus colluvie impura onustum sit. Nihil ait in illo usu noxæ metuendum esse, inprimis si corpus sub longiori immersione non rigeat, & statim ab egressu vestimenta induantur, & corpus exerceatur. Caput ante ingressum aqua perfundatur, vel humecta spongia lavetur. Balnea hæc Galenus maxime hecticis suadet. Sane qui lente adsuescunt & caute repetunt, & ex Alpini consilio per gradus teporis ad ea descendunt in tuto versantur. Recte vero Vallisnierius monet, frigidas aquas calidiorum regionum sub cœlo illo tepidiores, non gradu communis virtutis comparari debere cum nostris multum frigidioribus & plus cautelæ exigentibus, uti omnino in corpore per naturam calente tutior videri potest usus calidarum quam frigidarum aquarum.

Thesis XIV.

Est etiam externus suffimentorum usus diæteticus, nec voluptati solum ob gratos odores serviens, fœtoresque corrigens, sed & corpora debilia, frigida, humida, catarrhosa, mucidoque pulmone prædita (salubriter excalefaciens) siccans, roborans, stasesque humorum intra vasa laxa discutiens. Solent sicca volatilia, inflammabilia ex vegetabilibus, gummosis, resinosis, balsamicis, uti thus, ladanum, styrax, gummi arabicum, animæ, mastix &c. ex animalibus castoreum, moschus, ex mineralibus ambra, succinum, nunc forma pulverum prunis inspergi, ut vapor externam corporis superficiem alluat, nunc intermedio glutine in trochiscos, pastillos, tædas, candelarum formam redigi, quibus vel accensis vel ad fornacem calidam affrictis pro scopo artis vel therapeutico vel prophylactico fumus diffunditur. A multis fumus tabaci inter præcipua, suffimenta anticatarrhalia refertur.

Thesis XV.

Nec odoratos balsamos ab usu diætetico excludimus, qui ad nares potissimum, tempora & carpum affricti, roborant, & penetrante halitu excitant debiles frigidosque & in deliquia animi vertiginesque & paralyses

pronos. Oleum plerumque nucistæ expressum basis est, cui olea aromatica destillata, essentiæ, extracta, gummosa, resinosa, fragrantia incorporantur. Unde copia hodie balsamorum nervinorum, cardiacorum, quorum gratia delicatulæ inprimis feminæ delectantur. Huc refero smegmata balsamica lotioni servientia; denique alias inunctionum species, quibus corpus post magnas inprimis exercitationes veterum more refovetur, & in justa flexilitate conservatur. Fuit apud Augustum, qui melli intus oleo extus longævitatem suam tribuit. Succincte adhuc tangimus spiritus odoratos & salia volatilia, quæ gestare secum in pyxide, ut sibi aliisque sub instante deliquio animi & subitis morborum invasionibus, quales hystericarum sunt, succurrant, consuetudo est sollicitorum & delicatulorum hominum.

Thesis XVI.

Strigiles seu scopas setaceas corpori fricando adhibere non exigui est (usus) in fibris leniter stimulandis, circuitu humorum in extremis accelerando, & egressu halitus perspirabilis aliorumque excrementorum corporis promovendo. Equus strigili studiose districtus fit levis, torosus, agilis; si id negligis, horridus, strigosus, iners. Certe homines imbecilli & sedentarii & in paralytica mala proni supplebunt excretio-

num ſuarum inevitabilem defectum, ſi totum corpus maxime artus mane & veſperi per horulam dimidiam circiter craſſis aſperisque linteis vel ſetaceo ſtrigili ad ruborem fricari permittunt (inprimis ſi pruritus eſt in cute, in junioribus non adeo opus eſt, quam ſenibus.) Quin & ſi exercitia iis non prorſus deſint, erunt tamen ſub illo frictu ſalubriora. Omne genus quadrupedum, quorum caro menſis inferri ſolet, ſtrigili diſtrictum, dat alimentum ſuavius & ſucculentius.

THESIS XVII.

Otioſi ac debiles ſæpe ſibi ungues manuum pedumque abſcindi, & barbam capillosque reſecari permittant. Prodeſt oculis, auribus, totique capiti hæc crebra crinium reſectio, ſimulque capitis per aquam frigidam, cui pauxillum ſpiritus lavendulæ vel aquæ reginæ Hungariæ inſpergatur, quotidiana ſuadente Cheynæo ablutio. Imo radere caput præſens remedium eſt coryzæ, cephalalgiæ & imbecillitatis oculorum, cum ſic melius pateant retentorum ſpiracula: quo crebrius raduntur, eo plus recreſcunt capilli, ita ut quaſi conſtantis veſicatorii vel fontanellæ hæc vis ſit. Audiendi non ſunt, qui caput lavare plane prohibent, bene illud aqua calida ſaponacea ſubinde detergi poteſt, & ſub acceſſu radentis novaculæ mea-

tus cutanei a prurigine & furfure mundari. Inferne non minus utiliter adhibetur frictus plantæ, sit tamen lenior ob copiam nervorum in ea valde sensibilium. Optimum vero signum est, si pedes bene calent & perspirant. Si præterea singulis vel alternis hebdomadis tepida aqua foventur, fricantur, ungues resecantur, non facile clavi succrescunt, vel ungues carni digitorum infiguntur.

Thesis XVIII.

Inter externa, quæ diætam instruunt, potest aliquando venæ sectio & scarificatio referri. Venæ sectio extra morbum suadetur maxime vere & autumno, ubi plus alterantur humores, idque mane ventriculo non repleto. Plethora, quæ sibi relicta, spissitudinem & corruptelam humorum parit, sæpe etiam sputum mictumque cruentum, requirit, maxime in assuetis iteratas certis temporibus venæ sectiones, (Junckerus tempus decrescentis lunæ exigit, ubi natura facilius fert evacuationes) quæ vasis distentis reddunt contractilitatem: & dum vis densans remittit, solutionem compacti & sic circuitum inter commoda secretionum & excretionum e. gr. mensium restituit. At in obesis & otiosis cito renovatur plethora ob imminutum vasorum elaterem. Quibus post magnas exercitationes sanguis phlogisticus

& febres inflammatoriæ imminent, hos etiam ab hoc periculo præſervat, venæ ſectio, quæ attritum caloremque minuit. Facilius ferunt venæ ſectionem adulti præ ſenibus & tenellis, feminæ præ viris, voraces præ ſobriis, robuſti præ iis, qui ſenſibilioris naturæ ſunt (ut femellæ). Salutarem vero revulſionem iis promitit, qui crebra congeſtione ad caput vel pectus laborant.

Thesis XIX.

Scarificatio, quæ ſanguinem & tenuiores humores ex vaſis cutaneis per parva vulnuſcula apertis educit, convenit ſeroſis & ſucculentis, & reſpondet Chineſium acupuncturæ. Stagnans ad exteriora ac tumens lympha copioſa & acris, quæ facile parit efflorescentias cutis, ſcabiem, rheumatiſmos, ophthalmias, cephalalgiam, tinnitum aurium &c. reperit eximium & præſervans contra hæc mala remedium in ſcarificatione, quæ bene certis temporibus inſtituitur circa loca carnoſa, brachia, ſcapulas, femora, ſuras &c. Imponuntur ſcarificatis locis pro faciliori ſtillicidio cucurbitæ poſt expulſum per flammam aërem. Applicatæ in locis non ſcarificatis ventoſæ dicuntur & pariter revellunt. Conſtantioris tamen virtutis ſemper ſunt fonticuli.

Thesis XX.

Poſtremum locum verbera & plagæ occupant, quibus in multis morbis ut epilepſia, furore, paralyſi conſultum fuit, nec negari in diæteticis locus poteſt. Frigidi, lenti & pituitoſi, ceterum ſani indigent iis, quæ circulationis & pendentium hinc coctionum, ſecretionum & excretionum vigorem conciliant, aguntque inſtar frictionum ac phœnigmorum, vel majori etiam ſtimulo, quo aliquando ſalubriter revellunt & interiora liberant. Partes graciles, ut caro elevetur, virgis diverberari olim Galenus juſſit, probat Hieronimus Mercurialis, velut in torpore veneris Joannes Heinricus Meibomius. Blanchelius ut remedium ſterilitatis agnoſcit, hinc Romanæ mulieres dextras & terga Lupinis flagellanda offerebant. (Feſta Lupina in Februario celebrabantur.) Sane lentis torpidisque ingeniis, ut excitentur, non opportuna ſolum eſt flagrorum & virgarum diſciplina, ſed & ad ſanitatem confert.

APPENDIX

QUÆ

CONTINET EXEMPLA QUÆDAM DIÆTÆ SPECIALIS.

Omnes claſſes remediorum diæteticorum fas eſt ad ſingulorum temperiem, ſexum, variumque vitæ ſtatum plenius relatas paulo plus illuſtrari in potioribus ſalubritatis ſuæ momentis. Sufficiat nobis conſiderare 1*mum* quomodo diæta ſingularum ætatum ſpatia dirigat. 2*do* feminarum valetudini in variis caſibus ſeorſim proſpiciat. 3*tio* Porro convaleſcentium valetudinem confirmet. 4*to* peregrinantium, qui alieni aëris & inſueti victus incommoda ſubeunt. Addemus 5*to* principum, 6*to* literatorum diætam.

CAPUT I.

DE

DIÆTA ÆTATUM.

Thesis I.

Diæta infantilis poſtulat:

1*mo* Ut infanti recens nato funiculus umbilicalis prope abdomen fortiter ligatus, tribus transverſis digitis a ligatura abſcindatur.

2*do* Sordes corpori a liquore amnii adhæreſcentes tepido potius & diluto vino quam ſola aqua abluantur: plus enim vinum repurgat & refocillat quam aqua, qua temere ſæpe & ruditer lavant miſeros ad abſceſſum ſæpe cutaneum.

3*tio* Exploretur, num quid deſit aut abundet, pars aliqua an aperta ſit præter naturam, an clauſa e. gr. anus imperforatus, qui fæces, vel vulva membrana tecta quæ lotium remoratur, quibus ab initio neglectis brevi ſæpius convulſiones ſequuntur.

4*to* Strigmenta glutinoſa primarum viarum & inprimis meconium leniter expurgentur, quo ſcopo natura proxime a partu non lac pingue ſed ſeroſum valde & ſordibus primarum viarum abſtergendis aptius, coloſtri

nomine in mammis maternis parat, quod non temere emulgendum, quasi infanti noxium, sed paucis a partu horis, tanquam divinum, teste Veslingio remedium tenello præbendum.

5to Fasciæ nec stricte nimis nec laxe obvolvantur: ibi enim figura corporis facile mutatur cum deformitate; hic molles & aliquo fulcro egentes, nimis suo arbitratui relinquuntur.

6to Alimentum sit indulgentiæ tenellorum congruens, sed nullum materno lacte est, congruentius; cum communem infans sub nexu novem mensium cum matre vixerit vitam. Primerosius præjudicium vulgi damnat; omnem nutricem sanam præbere probum lac.

Nisi reperiri possit nutrix, quæ matri conveniat temperie, ætate & termino partus, certe proxime conveniat; semper erit lac maternum infanti salubrius.

Aliud quodcunque lac erit vel tenuius, vel crassius, vel quocunque gradu dissimilius. Si eligenda tamen est nutrix, non solum sana sit & bene colorata, annorum non ultra triginta, pinguedinis mediocris, pectoris ampli, uberum prominentium, sed etiam bene morata, non iracunda, libidinosa, meticulosa & affectibus animi nimis obnoxia. Nam propagantur vitia tum corporis tum animi in nutricum alumnos. Ita

ſæpe propagata ſunt ſtupor, libido & alia lactantium propria. Mariana notat, lacte capræ enutritum pedum velocitate, lactatum canicula; rictu canino quoties excanduit (ira) conſpicuum fuiſſe. Nota ipſius ſalubritatis in lacte eſt illa conſiſtentia, ut ungui pollicis inſtillata guttula nec diffluat tarde nec cito nimis: ille color, qui nec impenſe albicat, nec in flavedinem declinat; ille ſapor, qui nec acidus eſt, nec ſalinus, nec amaricans. Sive vero mater, ſive nutrix lactet, utraque abſtineat a cibis acribus ſalſis, acidis, a venere etiam & omni motu immoderato corporis & animi. Nunquam lac præbeat reluctanti, nam vomitus facile, flatus & convulſiones inde oriuntur. Nec vero lactationem juſto citius abrumpat, quia ab illa protracta dentitio facilis eſt & immunitas a vomitu. Protrahatur lactatio per annum circiter imo ultra donec tenelli pedibus incipiunt inſiſtere, & aliis cibis ſenſim adſueſcunt. Interponi in progreſſu lacti poſſunt pulmenta & alii cibi mites, boni ſucci & facillimæ coctionis. Conveniunt maxime pulmenta ex pane bis cocto cum aqua & ſaccharo, non tam ex farina triticea cum lacte diu cocta & craſſiora, quæ maſticatione egent, moleſta in primo ortu dentium. Qualem tamen tam tenacem maſſam nutrices etiam præmanſam prius ruditer in fauces repugnantium infantum digito intrudunt.

Nulli dentur cibi crudi, ut fructus horæi ob vermium proventum. Prohibeantur etiam calida vinosa, spirituosa, acria. Potus sit tepidiusculus.

7mo Somnus protrahatur agitatis leniter cunis. Coctione majori opus est in tam debili ætate, ideo refovet somnus, qui tamen protractus nimis stupidos & segnes reddit. Addimus cucuphis merito muniri caput contra externas injurias. Prima vi ambulandi tentamina, ne teneras partes distorqueant, non cito nimis permittenda esse, nec sine sustentaculis & sine attento duce.

8vo Medicamenta haud ultra magnam necessitatem adhibeant, nec forte nisi rheum (mel, saponem venetum) cum pulvisculis absorbentibus. Corruptela victus lactei acescens ac glutinescens, & ad convulsionem facile irritans nervos tam irritabiles pulchre corrigitur hoc leni absorbente & evacuante remedio.

THESIS II.

Diæta puerilis ætatis inter incrementa corporis postulat:

1mo Uberius alimentum, sed per intervalla, ne debiles adhuc coctionis vires obruantur, unde asthmata, tormina ventris & alvi fluxus ex irritante ingestorum corruptela. Carnium detur parum, farinosa potius & lactea: a fructibus haud sollicite re-

purgatis, vermium proventus metuatur. Inter hæc notamus, quam diu primis dentibus haud ſucceſſerunt alii fortiores, danda non eſſe, quæ magnum maſticationis molimen requirunt, ſed quæ ſolo affrictu linguæ ad dentes fere macerantur. Firmatis dentibus per gradus ſolidiora exhibeantur, inter auctiores ſenſim corporis motus.

2*do* Potum nec vinoſum nec ſpirituoſum ſed nec mero aquoſum, vina perinde ac Infuſa Theæ & Coffee inprobamus, quoniam illa nimis ſtimulant corpus adhuc tenerum & in convulſiones pronum, hæc nimis relaxant.

3*tio* Motum moderatum, ne dislocentur nondum firmata ſatis ligamenta cum artuum deformitate. Hinc etiam peccant curſumque ætatis præcipitant, qui cito nimis tenellos admonent magnis laboribus; quod ipſum quoque de nimia animi exercitatione intelligendum eſt, quæ ingentem animi hebetudinem parit. Joannes Lockius laudat diætam puerilem frigidam & ſeveram.

T H E S I S III.

Diæta juvenilis ætatis, in qua ob roborata vaſa & oſſa ſubſiſtit progreſſus incrementi, niſi exacte obſervetur hæmorrhagiis & phthiſi præbet anſam. Igitur creſcente Plethora, creſcat labor, qui conſumit ſuperfluum & diſſipat, vel nimiæ vo-

racitati

racitati ponatur modus. Convenit diæta aquosa, tenuis haud multum sanguinis conficiens; & somnus brevior, qui longior plethoricis torporem gignit; venus nulla, quæ præmatura decentem corporis magnitudinem & efficacioris seminis genesin inhibet. Unde judice Zachia minus generant.

THESIS IV.

Diæta virilis ætatis, ob solidorum & fluidorum æquales vires, morbis minus obnoxia est: plus habet in delectu eorum, quæ ad vitæ usum pertinent, libertatis. In virium tamen excessu major est ad morbos acutos pronitas, sub nimio errore circa res non naturales, ubi quies prodest cum diluentibus. In abundantia humorum intendatur motus, ne intra vasa illi accumulentur, & ad stasin & corruptionem pergant. Maxime hac ætate nocent acriora cum magno stimulo: prosunt e contrario, quæ impetum minuunt, & evacuant.

THESIS V.

Diæta senum in solidorum occallescentium rigiditate & siccitate ac fluidorum diminutorum viscitate eget perpetua lenta tamen partium emollitione & humectatione. Unde Socrates senes cum plantis aridis comparat, quas ros recreat, imber mergit. Raro senile corpus ad coquenda, quæ inge-

runtur, & expellenda; quæ cruda hærent ſatis validum e morbis magnis emergit: quippe in his copia liquidorum diſpergitur, cui impendio impar eſt aridus ſenex. Duo ſunt maxime, quæ cavere debet ſenex:

1*mo* Inclementiam cœli: nam ſanguis effœtus, coctio debilis, perſpiratio parva, nullas fert ambientis aëris injurias; fugiat ventos & procellas. At convenit fotus tranquilli & calidi aëris ad ſolem: Deſideat domi ad focum quoties frigida & ventoſa aëris tempeſtas eſt. Sufficiat ei ſereno cœlo & æſtivo calore leniter obambulando refoveri.

2*do* Omnem cibum ſuperfluum, cum ſpei nihil ſit in vita exercitata, quæ diſcutit ſuperfluum, & parva virtus coctionis parum & tenue requirat, quæ ſola temperantia viridem ſenectutem promittit. Quam alioquin, ſi pauxillum abundat, rheumata, catarrhi, ructus, dolores colici, hebetudo ſenſuum & memoriæ premunt. Semper decedat cibi, quantum decedit viribus, dum parum perſpirant ſenes & parum in iis deteritur, parum etiam ſupplimenti requiritur.

Thesis VI.

Speciatim adhuc ſenibus commendamus:

1*mo* Ut animus ſit tranquillus & pravarum cupiditatum expers. Quamvis enim affectus ut ira leniter nec crebro inſurgens

quibusdam senibus haud nocuerit, inprimis adsuetis; imo torpentes excitet aliquando salubriter: raro tamen tolerantur illæ insurgentium affectuum turbæ; quæ plus spirituum viriumque dissipant, quam in illa corporis inertia regenerantur. Maxime nocent affectus lenti mœstitiæ & timoris. Peropportunum est hilari aliorum convictu & facetis colloquiis senes interdum resoveri. (excitari.)

2*do* Ut aër sit calidus potius humidusque quam frigidus & siccus: at purus inprimis; qualis in locis montanis & campestribus maxime ab oriente spirat, ad quæ loca interdum senes se provide conferant.

3*tio* Ut victus sit simplex, mollis; gelatinosus, qui coquitur facile, alit leniter & irrorat. Huc spectant carnes juniorum & macilentorum animalium, ex iisque parata juscula, maxime vitulina, vervecina & gallinacea; nec minus lacticinia, ova tremula & olera mollia; vitatis carnibus crassis, viscidis, duris, ob dentium, caloris & exercitii defectum; abstineant quoque a salitis valde, acribus, pinguibus & frixis butyro.

4*to* Ut pro potu sit cerevisia bene cocta & defœcata nec recens nimis nec acida nec dulcis; turbida obstruit & lotium remoratur, cum jam ultro obnoxii sint senes calculo & stranguriæ. Vinum sit fragrans, generosum & confortans in parva dosi, qua-

le lac ſenum audit ; ut Hungaricum , Hiſpanicum & ſimile dives ſpiritibus & coctionem juvans. Nec diſſuademus interdum chocolatam , hydromel, tincturam ambræ, imo & ſelectiores aquas vitæ , modo prudenter & raro exhibeantur.

5to Ut exercitia ſint nec nulla nec nimia, nunquam certe ad ſenſum laſſitudinis. Si nequeunt ſe ipſos movere , ſubſtituantur frictiones mane & veſperi : de die vectio in rheda fiat, quæ cœlo ſereniori favet perſpirationi.

6to Ut ſomnus largus ſit , qui perdita inſtaurat , & coctionem perſpirationem & alias ſecretiones ſuſtentat. Licebit ad eum præparare ſenes potu vini generoſi vel aromatici vel elixirii ſtomachici a paſtu exhibendi.

7mo Ut alvus ſenibus ſemper ſiccior, motu moderato & potu dilutiori reddatur obſequentior , vel uſu leniter evacuantium & blandorum clyſmatum. Wilhelmus Clinch, ſenum valetudinem nunquam certiorem eſſe judicat, quam ſi alvum neque contractam nimis nec liquidam habent : eam igitur firmare debent , quibus fuſior , ſolvere , quibus contractior.

8vo Ut nihil conſuetudini , quæ in illos uſque annos invaluit , detrahatur , ſive in ſomno meridiano , ſive in ſelectu cibi non

nimis ſalubris, ſive alio modico diætæ errore conſiſtat.

9no Ut & externa probe obſerventur, quæ materiam alibilem corpori ſuggerunt, vel vires excitant, vel humectant corpus. Talia ſunt unguenta, fomenta, balnea, clyſmata, quibus nihil indigentiæ ſenili in tanta ſiccitate convenientius. (Adde accubitum juvenculæ, ad Davidis exemplum, tanquam caloris pene exhauſti ſuſcitabulum; & moroſæ ſollicitudinis lenimen.)

CAPUT II.

DE

DIÆTA FEMINARUM.

THESIS I.

Quamvis feminarum diætam æque quam virorum per eadem ætatis ſtadia iisdem fere legibus metiamur: ſtatus tamen virginum, gravidarum, puerperarum peculiare aliquid habet, cui in valetudinis commodum peculiares diætæ leges reſpondent.

THESIS II.

Virgines ubi creſcere deſinunt, & plus cruoris conficiunt, quam ad nutritionem

ſuam & commodum humorum per vaſa motum requiritur, fiunt per plethoram inde genitam aptæ ad concipiendum, nutriendumque fœtum. At quamdiu ſuperflui ſanguinis impendio non egent, certis menſium periodis fluxu uterino ab illo ſuperfluo liberantur. Ne igitur hoc fluxus beneficium in virginibus, quovis menſe plethoricis, neque etiam in nuptis extra ſtatum graviditatis deficiat, diæta maxime circa tempus inſtantis fluxus prohibet victum craſſiorem & obſtruentem, & refrigerationes extremorum, affectus animi, ut mœrorem & terrorem; quæ omnia remorantur vel ſiſtunt inſtantes ſecretiones menſtruas. Simul vero humores per fluidiora ingeſta in ſua fluxilitate, vaſa in ſua laxitate ſerventur; partim etiam levi ambulatione, partim lotione & frictione pedum deorſum ad vaſa uterina ſecernendum ſanguinem determinet. Reliquo tempore mollis delicata & umbratilis vita, quippe lentiori humorum motui & ſtaſibus opportuna, multum feminis efficit, ut olim non male Lycurgus curſu, lucta, diſci & miſſilium jaculatione exerceri etiam puellas voluerit, quod in robuſtiori corpore fortius expurgetur ſuperfluum, & conceptum ſemen lætius germinet.

THESIS III.

Diæta gravidarum cavet, partim ne ute-

ro, poſt conceptionem clauſo, retentus ſanguis, & ratione fœtus in primis menſibus alendi abundans, tumeat intra vaſa, ſtagnet & corrumpatur, partim ne poſtremis menſibus incrementum fœtus premat vicina & in functione ſua impediat, ut alvum & veſicam. Igitur gravidis:

1*mo* Aër externus purus ſit & temperatus: nam humidus & auſtralis, ligamenta uteri laxans, abortui favet, plus etiam frigidior, ob quem crebrius feminæ ſeptentrionales abortiunt. Eodem tendit ſtimulus aëris turbidi, ventoſi & fœtidis halitibus pleni (e. gr. carbonibus accenſis).

2*do* Cibus ſit plenior & probi ſucci, maxime ultimis menſibus. Abſit victus acris, ut allium, ſinapi, cepæ, vel flatulentus, ut fructus horæi crudi, ibi irritationes, hic tenſiones abdominales abortum debilioribus minantur.

3*tio* Potus nunc ſit aquoſus, ut infuſum theæ, nunc cereviſia bene cocta, nunc pauxillum vini aromatici ad coctionem juvandam & reprimendos flatus.

4*to* Vis imaginationis & affectuum inhibeatur. Illa enim imprimit nævos, inter hos facile ira abortum parit: terror & mœſtitia nutritionem fœtus remorantur.

5*to* Motus vehementiores caveantur. Non convenit, geſtare onera, brachia extendere, premere cum niſu, vel etiam ſternutamentis

abuti. Moderati motus, maxime postremis mensibus ambulationes dilatant vias uterinas.

6to Concubitus providus & parcus sit, ne agitetur uterus vel tumens puerperæ venter prematur. Quamvis omnino sint, qui ad partum faciliorem convenire existimant, cum loca uterina humectet.

7mo Alvus ultimis mensibus segnior vel leni enemate, vel cibo pinguiusculo, vel mannata potione solvatur.

8vo Somno liberalius indulgeatur.

9no Venæ sectio in valde plethoricis, quæ ante graviditatem largissimum semper mensium fluxum habent, fiat in brachio, vel circa finem tertii mensis, (ad uncias 6—8, in valde plethoricis repeti potest) ubi metuenda maxime hæmorrhagia uteri vicina premuntur. Non nimis plethoricæ melius omittant venæ sectionem, a qua debiles abortiunt.

10mo Balnea tepida postremo mense laxent vias partus.

THESIS IV.

Diæta puerperarum eo solertior sit, cum multa earum funera magis errori diætæ, quam ipso puerperio debeant. Si bene successit partus & lochiorum fluxus sanguinolentus primum, in progressu chylosus serosusque magis bene sequitur, haud alia diæta

ſit, quam menſibus laborantium. Non enim hic deterior fingi debet hominum quam brutorum conditio. Videmus plebejas poſt brevem a partu quietem cito convaleſcere, & ad conſueta negotia redire; cum molliores ditioresque in lecto ſub ignava quiete marceſcant. Non diffitemur, in naturali etiam partu inter nixus & dolores & hæmorrhagias pati aliquid feminas, nunc extenſa ſolida contrahi, nunc tubulos lactiferos mammarum impleri: & quid non patitur ipſe tenerior infans, qui nunc aëri & novo victui adſueſcere debet, & cujus jam ſanguis per pulmones antea feriatos trajicitur, foramen ovale clauditur, & binæ arteriæ umbilicales cum ampla vena ſeparantur.

Ut inter tot mutationes fœtus ſufficit auxilium naturæ, ſic & matri ſufficit, ut ſtatus puerperii proprie non ſit morboſus judicandus. Non improbanda tamen eſt vigilantia artis, ut

1*mo* Tepida & æqualis temperies aëris puerperam ambiat. Frigidus tormina ventris parit; lochia ſiſtit, ſanguinem in grumos figit; unde ſæpe deliquia animi febresque.

2*do* Commodus decubitus ſit, perſpirationi non ſudori favens (ſit in leni madore.) Nam ſudore alvus ſegneſcit, lochia ſufflaminantur, anxietas oritur.

3*tio* Victus ab initio parcior ſit, donec ſanguis ad mammas confluit, & lac ſecerni incipit, tunc plenior ſit, qui bene ſuſtentet. Primis diebus ſufficiant juſcula ex cereviſia cum pane & butyro, ut & ova ſorbilia, ſenſim juſcula avenacea cum paſſulis, vel & gallinacea, carnes quoque teneræ & piſces friabiles. Potus ſit ſubtepidus & tenuis, ut Infuſum Theæ, vel aqua cum pauxillo Cinnamomi cocta.

4*to* Quies ſub fluxu lochiorum ſit major; poſtea nihil impedit extra lectulum verſari & ambulare, & ſolita negotia ſenſim, ſed provido gradu repetere.

5*to* Somnus liberior nec interdiu arceatur, inprimis ſi nocturnus ab infante lactando turbatur. Suadent plerique primis horis a partu fugere ſomnum, velut poſt venæ ſectionem. Invaluitque canon, debere puerperas inſtar eorum, qui vulnere laborant tractari. Metus eſt hæmorrhagiæ forte citra ſenſum orientis & funeſtæ.

6*to* Moderatus ſit lochiorum fluxus, ut nec cito nec tarde nimis deſinat; ſi parcior fluxus, quære an parce olim menſes in non gravida fluxerint, an venæ ſectio paulo ante partum facta, an in ipſo partu multum ſanguinis effluxerit? Inter quæ, ſi nihil mali puerpera ſentit, nihil metue & muta. Sufficit his cauſas cavere, quæ fluxum ſupprimunt, ut refrigerationes, ſudationes,

calores, defectus potulenti &c. Fascia ventri moderate injecta exprimit pedetentim vasa uterina; strictior comprimens nimis parit crebram Diarrhœam, quam damnat Ruyschius, tanquam circulationi adversam.

7mo Alvus non sit sicca vel suppressa, qualis lochia sistit. Lubrica manebit, si calorem, sudorem, inopiam potulenti cavemus. Opus aliquando est Decocto prunorum vel passularum vel simili, vel hausto oleo amygdalino cum jusculo vel etiam enemate. (s. Clysmate.)

8vo Venus præmatura fugiatur, ut aliquamdiu plena sit affectarum partium quies.

9no Sopiantur affectus, unde in parte domus a strepitu remotiori sit locus puerperii: Nihil sit quod irritet iracundas. Sint, qui erigant timidas, & tempus amica confabulatione fallant. Nato jam affectu, prosunt potus tenuis cum pauxillo vini, pulvisculi sedativi, enema &c.

10mo Ante egressum puerperæ ex ipsa domo cogitetur de balneo, quod sordes abstergat & partes roboret.

CAPUT III.

DE DIÆTA CONVALESCENTIUM.

THESIS I.

Diæta convaleſcentium vigilat contra periculum recidivæ, & virium reſurgentium conſtantiam curat. Rediens ciborum appetitus bonum per ſe ſignum eſt naturæ amiſſarum virium incrementa parientis. Cum e contrario deficiens appetitus morbi nondum penitus devicti reliquias arguat, quarum quamdiu igniculi in venis gliſcunt, inſtandum eſt uſui remediorum. At quoniam dubiæ valetudinis ſuſpicio manet, niſi cum ſurgente appetitu reliquarum functionum integritas redeat, duo debent obſervari:

1*mo* Non indulgenter nimis novo appetitu obſequi.

2*do* Aliquamdiu nihil ſumere ſolidioris cibi, qui plus coctioni reſiſtit.

THESIS II.

Prius ſi negligitur, coctio ingeſtis impar ſuccumbit & cruda relinquit morbo reno-

vando apta. Unde gravitas ventriculi, tumores œdematoſi, ſudores & febres intermittentes ſequuntur &c. quibus multorum ab acutis reſurgentium incautior diæta mulctatur. Gradui creſcentium virium ſemper victus reſpondeat. Poſterius mala eadem vel majora parit, quod relicta a morbo debilitas excitato quidem appetitu viribus ſuis tentet conſulere. At notandum eſt, vigorem appetitus ſemper paulatim præcedere vigorem coctionis. Ergo primo tempore poſt depulſum morbum victus parcior, mollior, humidior ſit, infra ſatietatem & tanto magis infra faſtidium.

Thesis III.

Modicus vini uſus languentes convaleſcentium vires non nihil erigit; reficit etiam corpus pauxillum Chocolatæ vel ſimile.

Thesis IV.

Mane ſomnus protractior ſit, ne perſpiratio tunc optima perturbetur. Alvus ordinarie a morbo adſtrictior, vix æque juſculorum uſu mollitur, quam ſi in progreſſu ſolidiuſcula data materiam & ſtimulum fecum augent.

Thesis V.

Vitentur præterea 1*mo* Aer humidior auſtrinus, ſub quo vires lentius reparantur.

2*do* Labor, qui ab ægris & morbo nuper eluctatis, & refovente quiete indigentibus haud impune fuſcipitur. Quamvis enim neceſſe non ſit in lecto morari, imo motus moderatus coctionem juvet: Merito tamen metuimus magna ſpirituum diſpendia ſub motu muſculari præmature aucta.

3*tio* Venus, ad quam; licet nec impotes, nec parum proclives ſint, vires tamen in prima collectione iterum profuſæ, recidivam imo aliquando mortem minantur, ut poſt ſanata capitis vulnera contigit quibusdam ex venereo exercitio.

CAPUT IV.

DE DIÆTA PEREGRINANTIUM.

THESIS I.

Diæta peregrinantium; qui ſuæ ſpontis ſunt, nec aliis legibus adſtricti, docet paulatim adſueſcere novis locorum; aëris victusque mutationibus, earum noxas effugere: Ne ex inſalubriori quidem loco in ſalubriorem tutus ſtatim eſt tranſitus, judice Celſo. Omnis nimirum ſubita mutatio licet in me-

lius, ſanitati infeſta eſt, quod plus metuendum erit circa inſueta & inſalubriora loca ſimul.

Thesis II.

Contra vitia aëris probe ſe muniant peregrinantes, quibus neceſſarium eſt ſe exponere, & ubi delectus nullus in noſtra poteſtate eſt. Aer humidus & paluſtris, halitibus corruptis & infectis prægnans, ipſos incolas lædit, præſertim noctu, ubi halitus per calorem diei elevati ad tellurem majori noxa redundant. Qui igitur loca paluſtria noctu transire, vel vicino iis diverſorio dormire coguntur, ibi ſub ſicciori veſtitu & fumis penetrato ſpirant tutius, ſeque pauxillo ſpiritu vini, vel etiam fumo tabaci defendant, hic per gummoſa & reſinoſa carbonibus injecta corrigant ambientem aërem, ſe intra conclave contineant, nec craſſiores loci cereviſias bibant, ſed vinum oligophorum (rhenanum & moſelanum) ſi ſuppetit, maxime calido herbarum Infuſo perſpirationem ſuam juvent. Aer calidus ſimul & humidus, uti plus favet morbis peſtilentialibus, & contagioſis, ita ſi quis præter ſpem ingreſſus talia loca, nequit infectorum ædes & commercia effugere penitus; pulverem pyrium vel acetum igni adſpergat, ſalivam crebro exſpuat, & muccinia aceto ſubmadida ori naribusque ſæpe applicet.

Idem fiat ubi pelles tractantur & ſapones coquuntur. Speciatim ſi ſubſiſtendum eſt, ubi dyſenteriæ graſſantur, olera & fructus horæos fugiant, pultibus farinoſis cum pauxillo croci aut aromatum fruantur, vinum meracius bibant, & ad primum mali ſenſum poſt copioſum hauſtum infuſi calidi, ſumto granulo opii cubitum eant. (Opium ſiſtit alvum.)

Thesis III.

Si æſtivo itinere pulverulenta multa quæ ad tuſſim & Aſthma proclives adfligunt, inſpirantur, raro linteo os & nares tegant, per cujus ſpiracula aër admittatur. Deinde in diverſorio calefactum hydromel bibant & loquendo, legendo, ſternutandoque ſerum pulverulentis mixtum excutiant. Ipſe æſtus ad gradum Thermometri nonageſimum evectus, qui fere omnibus animalibus funeſtus eſt, ſi ingruit in itinere e. c. ſub diebus canicularibus in campis arenoſis, quos valles cingunt, & auræ afflatum intercipiunt, nec navigationi locus eſt; vectio fiat in vehiculis tectis, maxime noctu. Fugiantur in hoc ſtatu non modo ſpirituoſa, ſalina, aromatica, ſed & frigida valde, potus frigidus, cellulæ frigidæ, balnea frigida. Ubi paululum deferbuit æſtus, vinum dilutius prodeſt, ut rhenanum, ſed nunquam plenis potibus. Edantur fructus horæi,

ræi, poma citrea, acetaria ex lactucis cum pane biſcocto. Qui incautius frigida admiſit, cito ſe recipiat & multum aquæ calefactæ cum aceto bibat, & deinde calicem vini calidi aromatici. Si quædam tantum partes ut facies radiis ſolaribus uſtæ rubent tumentque, illinatur albumen ovi quaſſatum cum pauxillo Aluminis & ſalis communis, aut lac virginis. Si deficit potus, taleolas pomi citrei imponant linguæ, & abſtineant a loquendo. Si cavernas, quæ vaporem ſulphureum ſuffocantem exhalant, transire vel ingredi contigit, ut fit fodinas metallicas viſitantibus, conducit olfactus creber ſpiritus ſalis ammoniaci, nec male adſpergitur frigida correptis in tali loco paralyſi.

THESIS IV.

In magno frigore, inprimis ſub diluculo & vento adverſo, non modo veſtes laxiores ex lana & villoſis pellibus, ut & tibialia, ocreæ, chirothecæ lana inveſtitæ conveniunt, ſed & motus per omnia membra corporis. Vectio non ſufficit ad calorem impertiendum: Equitatio non ſatis defendit pedes, ſemper præſtat ambulatio. Neque ſtatim ſub ingreſſu domus ad focos accedendum eſt, vel ad prunas ardentes pro frigore arcendo, facile illi qui inter dictas prunas in cubiculo anguſto & feneſtris clauſis dor-

miunt, lethargici pereunt, nisi adsperſa mox aqua frigida in faciem & pectus, ipsisque si opus cauteriis ad plantas pedum & verticem ſuccurritur. Crebris peregrinantium pernionibus vel aliis partibus gelu constrictis lintea aqua gelida humectata imponantur. Deinde ſi ſenſus cum motu redit interna cardiaca & ſudorifera exhiberi poſſunt. Inter hæc damnamus morem ad depellendum in itinere frigus, ſpiritum vini meracius bibendi, (quippe *ad coagulandos humores aptiſſimum.*) Unde legimus peregrinantes his ſpiritibus uſos inprimis in jejunio polypis periiſſe in vaſis majoribus. Notandum hoc inprimis eſt, ſub frigida tempeſtate, in qua corpus movetur, duriores ſemper, ſub calidiori humidiores cibos convenire. Notat Sennertus hieme in Alpibus rhaeticis neminem duo milliaria ſuperare audere & ab una radice montis ad alteram, quin cibum poſtulet fames, transire. Plutarchus ait, qui per nives multas incedunt, intenſa fame & ob hanc ſæpius Lipothymia corripi, & idem jumentis accidere. (Quod ipſi Bruto contigiſſe legimus, quem in animi deliquio ut reficerent milites, ab urbis obſeſſæ militibus panem petere coacti ſunt.) In frigido humidoque aëre colluvies ſeroſa per tuſſes, peripneumonias, Diarrhœas ſeroſas infeſtans, nunquam certiori fide remittit, quam ſi poſt aërem temperaturæ juſtæ

redditum cibus potusque diaphoreticus, ut juſcula vinoſa cum vitello ovi, vel cereviſiæ meraciores calefactæ & aromate conditæ offeruntur.

THESIS V.

Cura peregrinantium non minor circa ingeſta verſetur, quam aërem, (ut jam ex parte vidimus.) Nocet iis ſemper poſt longam & inſuetam famem multa & ſolida ingerere. Promta refectio fit per vinum cum vitello ovi & bucella panis. Haud fidant diverſoriis paganis & penuria preſſis, ubi ſubinde recoquunt piſces, & animalium morbis extinctorum carnes offerunt. Cujus rei ſi juſta ſuſpicio eſt, convenit revomere per aquam tepidam cum oleo olivarum; quod etiam ſi male a fungis ſe habent fiat, & vomitioni hydromel cum aceto mixtum ſuperbibant. Panis probitatem ex ſapore judica: Pro cereviſia recenti, craſſa, turbida, Aquam elige a fonte ſcaturientem; hanc quoque ſuſpectam percola, ſaltem per linteum rarum, ut ſordes, ova & inſecta removeantur; ne ab incaute aſſumtis inprimis inaſſuetis lædamur. Talia in ſummo temperantiæ gradu ede ac bibe; lente tranſi ab uno ad alterum, nec niſi a dilutioribus vinis ad generoſiora, a tenuioribus cereviſiis ad fortiores, per illos gradus tuto iis adſueſcimus.

THESIS VI.

In locis maxime deſertis ſuſpectisque ituri cubitum, examinent prius cubiculum, lectum, inſtrata linteamina an munda ſatis ſint, non maculoſa ab ægris vel interdum lue venerea affectis? In qua ſuſpicione præſtat ſellæ indormire, certe ſine exutis veſtibus decumbere. Deterge omnia loca ſuſpecta etiam ſecreta. Provide agunt, qui ſua cochlearia, pocula, mantilia, cultros ſecum gerunt: Aliquem etiam medicamentorum apparatum, ita ad manum ſint e. gr. folia ſennæ (vel ſal anglicanum) in obſtructione alvi, Empl. Diapalmæ in læſionibus externis, oculus ex nuce moſchata, macere, cinnamomo, croco in ſtranguriis ex inſueto potu ſæpe oriundis. Suppetant quoque ſpecies herbæ Theæ, cujus calido Infuſo perſpirationi periclitanti ſubvenitur, thus, ſuccinum, Maſtiche, olibanum, ſandaracha, quibus aërem corrigimus. Inter prima quoque convenit, humidos pedes in proximo hoſpitio bene ſiccare.

CAPUT V.

DE DIÆTA PRINCIPUM.

THESIS I.

Valetudo principum, quæ ob publica commoda ſollicitam magis ſui cuſtodiam requirit, non poteſt non lubrica eſſe & inconſtans in illa poteſtate fruendi, quibus velint, inter tot lautioris vitæ irritamenta, tot venatorum, piſcatorum, aucupum, coquorum miniſteria, imo & medicorum timide ſæpe redarguentium intempeſtiva ſilentia. (At vetuit Socrates apud Platonem ex inſtituto Æſculapii valetudinarios publica negotia adminiſtrare.)

THESIS II.

Decet principem delectus probi medici, qui bonis ſcientiis imbutus, in arte exercitatus, peregrinando etiam varias medendi rationes penitius inſpexit, prudens præterea & bene moratus. Fortunatum cum Catone talem Medicum appello, qui ſcit, quid agendum. Velut fortunatum ægrum, qui in talem medicum inciderit. Merito princeps tali medico aurem præbet, ut ei fas

ſit, ſecundum formulam Caſſiodori, pro archiatris ſentire ſæpius contra deſideria principis, fatigare jejuniis, & in locum beneficii dictare, quod in gaudium ſalutis excruciet. Medico tali, ut muneri ſatisfaciat, ſit facilis ad principem ſuum acceſſus, ut adſueſcat libere loqui, nec animo premat, ex quo offenſam metuit. Opus ei eſt, ſæpe præſenti attendere valetudinem ſui principis adhuc integram, ad temperiem ejus & ad morbos familiæ, & totum vivendi genus. Multa ſic mala præcavebit, & tolerabilior hæc erit attentionis moleſtia, quam inter torturas morbi audire querelas de vanitate & fallacia artis.

THESIS III.

Primum cogitandum eſt de ſalubri aëre, cujus major in corpus vis eſt, quam aliarum rerum: Hic eligatur temperiei principis congruens. Cujus ratione habita, poteſt aliquando craſſior aër convenire. Alii ad hiemem, alii ad æſtatem melius ſe habent. Nunc campeſtria loca, nunc editiora præſtant; commendentur ſemper per uſum & temperiem magis amica. Abſint impuri aëris halitus, ut circa foſſas, ubi ſordes confluunt, unde & ad muros notatur epidemicarum malignarum ortus, quarum vix in media urbe veſtigium eſt. Sit quantum fieri poteſt purus aër & ſerenus, qui nebu-

loſus & auſtrinus gravat caput, deprimit animum, perſpirabile inhibet. In ſplendidis principum ſtabulis tetra ſæpe mephitis halat, & in venatu aër autumnalis pluvioſus ſæpe & frigidus comitatur. Fac ipſe princeps ex Barometro cognoſcat, cadente mercurio pluviam inſtare, adſcéndente ſerenitatem eſſe inter flatus boreales. Hieme diutius mane in cubiculo ſubſiſtat contra frigus: Æſtate ad ſolis ortum ſurgere placida aura refoveatur. Vitæ pars in aëre eſt, & vitalis calor in ſanguine magis, ſi purus & ſerenus aër. Inter populares morbos juvat ſalubriora loca ſive campeſtria ſive editiora adire.

THESIS IV.

Ad victum principum communis etiam ſanitatis regula pertinet; cibis non impleri. Quæ inter tot ſcopulos valetudinis, dum principum menſis tanta turba hominum miniſtrat, violari per intemperantiam maxime ſolet! Monendum eſt etiam bona alimenta nocere niſi juſtum tempus pro coctione crudi intercedit imo optimi cibi ſæpe peſſima corruptio eſt. Varietas illa & conditura ciborum ægre mixturam admittit in unam eamque formam, ægre, quæ tantopere inter ſe diſſident, conciliantur. Vis menſtrui, tam variis impar, multa intacta & incocta relinquit. Diſputant apud Macro-

bium alii pro ſimplicitate, alii pro varietate cibi. Sed fugienda non minus eſt nimia varietas, quam nimia ſatietas. Ita majori noxa inebriant varia vina in una cœna. Rara magis & pretioſa quam ſalubria Principibus offeruntur. Si Celſus dixit, bene eſſe nullis ſe obligare legibus, valere id magis de privatis poteſt, qui variæ vitæ neceſſitati adſueſcere per varia debent. Ita non temere Principis valetudo tentanda eſt. Semper magis in tuto eſt vita ſobria, frugalis, ſimplex, quam lauta varia & abundans, exemplo Cornarii, a lauto victu ad ſobrium transeuntis. Nec tamen ſollicite nimis ordinem & menſuram definimus, tempus conſuetudo & inprimis attentio ad effectum bonæ coctionis & nutritionis nos maxime inſtruunt. Ita ſæpe non multum referre judicat Lucretius quo victu fruimur, modo non ſentiat gravamen ventriculus. Edere non voluptatis cauſa ſed ſanitatis oportet.

Thesis V.

Varia tamen pro juſto delectu obſervantur. Exotica, peregrina, inſueta coctionis plerumque difficilis ſunt, & pravi ſucci. Nec tamen imbecilliores cibos nimis laudamus, qui coquuntur facile & cito alunt, at cito etiam diſſipantur; Hinc brevem vitam dare cenſuit Hippocrates. Panis bene coc-

tus dat durabile & conſtans alimentum, & firmamentum ciborum reliquorum Verulamio dicitur. Hinc & omnibus fere cibis aſſociatur, quamvis nimis ſcrupuloſe Ficinus duplum ad potum, triplum ad carnes, quadruplum ad piſces requirat. Sufficit, neminem ſanum faſtidio panis capi, ut aliorum ciborum, & bonæ ſemper notæ eſſe in morbis, ſi æger iterum panem appetit. Ipſe panis odor ex furno recreat ſpiritus, a carne fœtet anima, nunquam a pane. Principes nimis ferina amant a natura noſtra magis aliena. Hippocrates damnat cibos graves tanquam duræ coctionis carnes bubulas, ſuillas, aves aquaticas, piſces marinos. Talia nempe in otioſis perſpirant ægre, hinc ut tenereſcant, macerari per aliquot dies in aëre ſolent; nec hoc tamen ſine diſpendio meliorum partium: Unde carnes recentes ſalubriores judicat Hippocrates. Bonæ ſunt leviores ut vervecum vel volatilium ſub libero cœlo. In menſis ſecundis bellaria, cupediæ, fructus exhibentur, ut àcuant appetitum, quæ tamen non appetunt facile principes, niſi vel præcoces ſint, qui acerbiores, vel ſerotini, qui fatui vel fugaces nimis & corruptibiles; quorum immoderato uſu bis ægrotavit Galenus. Placent in aulis nivatæ potiones & limonadæ cum ſaccharo, qualia non ſemper ferunt viſcera. Nix ſitim facit ut Rhaſes ait;

nempe occludit ſeroſos oris latices. Nix tamen modica non nocet in locis calidis, at ſemper nocet & vehementer in corpore excalefacto. Perierunt multi ſyncope poſt hauſtum tam gelidi potus tanquam veneno. Sorbillando tamen ſub lento deſcenſu vis rigoris deſtruitur. Plus nocent vina immodica & meraciora, dum tartarea & lapidea artus affligunt & renes; inde nephritis, podagra. Vinum vetus, delicatulum, in planitie magis quam collibus natum, quod minus tartari habet, modico uſu vitales ſpiritus blande & ſine noxa recreat.

THESIS VI.

Exercitatio quoque neceſſaria principi eſt. Velut ſanitas pendet a moderamine juſto inter labores & alimenta: ita in cuſtodia ſanitatis opus eſt tum edere quotidie tum exerceri. Si prius minus fit cadunt vires, ſi alterum minus cumulantur cruda & excrementa. In fame inquit Hippocrates laborandum non eſt, & ſemper opus eſt nutrimento poſt magna exercitia. Ut vero quod Plato dixit, optimus motus eſt ex ſe ipſo, deterior ab alio; ita curru vehi, ſella geſtari, fricari, quippe motus extrinſecus, non pares ſunt motui muſculari in ambulando, qui motus mane & in loco aprico præſtat. Notandum illud Celſi, ignavia maturam ſenectutem, labor (ſeu motus) lon-

gam adolescentiam reddit. Ita suadendum est principi, ambulare mane & vesperi ante pastum sub dio magis quam tecto, cœlo tamen sereno. Familiaris principibus est equitatio & venatio. Corpus tunc sive pedibus sive equo per aspera loca feras prosequendo incalescit; & quicquid visceribus onustum gravat, dissipatur. Equitatio velut concussio est, crassiora & stagnantia excernens, ita Sydenhamo teste in chronicis morbis summi momenti est. Ipsos etiam sanos bene præservat a morbis. Sit tamen moderata & placida equo gradario, ubi secundum Galenum concurrit exercitatio mixta ex gestatione & proprio musculorum nisu. Hinc calor nativus crescit, excernenda promtius ejiciuntur, stomachi robur, sensuum acumen augetur. Saltatio fatigat nimis, corpus vero agile reddit & decorum. Imo Epaminondas olim a saltatione expectavit agilitatem in pugna promtiorem. Gestatio in sella satis etiam commodi habet. Certe præferenda longe sessioni & stationi, unde varices crurum. Hinc Juvenalis varicosum appellavit haruspicem, quod circa extispicia stare tam diu haruspices oportebat. Pilæ olim Vespasianus operam dedit: Antoninus imperator palæstræ, Herodicus valetudinarios exercitiis reddidit longævos.

Thesis VII.

A communi vivendi ritu in ratione somni & vigiliarum principes sæpe multum recedunt, nec facile naturæ legem sequuntur, quæ lucem dat pro sensuum & vigiliarum exercitio, noctis silentium pro quiete, (habemus antipodes in nostra urbe, Seneca dixit). Magnates apud Aegyptios, Romanos & Græcos prandebant modice, cœnabant laute cum amicis, & majori ex parte noctes agebant insomnes quidem, at post epulas reliquum noctis inter colloquia & concentus musicos transigentes periclitabantur minus, cum peracta jam coctione se somno traderent. Nostra vero ætate principes protractis in noctem negotiis, cibum sæpe media nocte capiunt, & paulo post cubitum eunt. Sic horas matutinas, quæ solari lumine maxime recreant turbulento somno absumentes, cum torpore deinceps & vitiata coctione evigilant. Quia nimis mos ille in aulis invaluit, vigilandi noctu & interdiu dormiendi, quam ut spes sit abrogari posse: suadendum certe principi est, ut paulo maturius cœnet ac parcius, & tempus aliquod sit, inter cœnam & somnum. Convenit secundum Hippocratem deambulatiuncula a cœna, ne flatus sub coctione ingruant. Sit circiter octo horarum somnus, qui animo ministeriis diei fesso pacem & vi-

gorem reddit. Misera vita est sine reficiente somno, ut Maecenas olim sensit postremo triennio vigil ex tabe consumtus. Nunquam optima alimenta & generosa vina sine somno restaurant vires. Fas est feriari nervos & fibras musculares, quæ per diem in perpetua fere tensione sunt. Præstat in loco potius frigido pro faciliori respiratione dormire, quam calido; membris tamen bene tectis: hinc & Celsus somnum in conclavi majore laudat. Male fugiunt metu hiemalis frigoris ad angusta cubicula, ubi halitus suos resorbent, quos ore & toto corpore respirant.

THESIS VIII.

Excreta nos circa multa instruunt, in corpore tam ægro quam sano. Certum se reddat medicus, principis sui alvus strictior sit an solutior, & an bene assumtis respondeat. Si alvus laxior, convenit cibus adstringens non nihil & fibras intestinorum roborans, ut panis rite coctus, carnes assæ, mala cydonia, oryzæ juscula, & hæc cum aliquo exercitio. Fugiant vero bellaria, vina dulcia, hujusque generis alia. Si strictior alvus, prosunt carnes teneræ & elixæ, vervecis, vituli, pullorum, pisces quoque & decoctum ex passulis & prunis; non nisi necessitate urgente clysteres mollientes dentur, quia intestinorum fibras crebro usu

debilitant: nec dentur laxantia per os, ut caſſia flatulenta & ſtomacho parum amica. Præſtat ubivis diæta ventris duritiem molliens. Attendi ſimul debet excretio ſecundæ & tertiæ coctionis. (ſecunda coctio eſt per urinam, tertia per perſpirationem): Plerumque alvus durior, ubi mictus & perſpiratio major. Temperantia in victu & recto uſu rerum non naturalium per tria illa emunctoria ab impuris.

THESIS IX.

Plus periculi minatur, & cui minus ſubvenire medico licet, affectus animi, qui bonam valetudiuem præ ceteris plurimum evertit. Ægre animum regunt principes, quibus tanta poteſtas eſt, & cum reſiſtere nemo audeat, minor moderatio, unde præ aliis valetudinarii. Notet medicus, in quem affectum pronior ſit princeps, ut diætam magis opponat & vitæ rationem. Si fervida ei temperies eſt, ſuadeat vina acidula, diluta & diætam refrigerantem: ſi ad mœrorem pronior ſit, commendet, quæ volatilibus partibus prædita plus excitent (torpentes) ſpiritus, ut vina modice generoſa. Plurimum in eo ſitum eſt, animum avocare ab intuitu rerum adverſarum.

THESIS X.

Cogitandum quoque mature eſt de morbis, in quos ex vitæ conditione facilius in-

cidunt principes, ut induſtria medici præcaveantur. Tales ſunt podagra, calculus, arthritis, affectus inter ſe cognati, ſæpe mixti. Parit maxime hos affectus congeneres intemperantia in victu & vita deſidioſa. Speciatim huc pertinent vina meraciora: nam judice Romacini materia tartarea & acidum volatile vini totum eſt, quod ad lithiaſin & arthritidis geneſin tendit. Sunt ſæpe illa mala in principibus etiam hæreditaria, ob vitæ genus cum parentibus fere idem & communia incitamenta ad vitam non nimis ſobriam. Admiſſi ſemel hi morbi, & ad tempus enutriti, cum non cedant facile, imo non ipſo curandi molimine ſæpe graviora mala accerſant; opus eſt in primo ortu obſiſtere, ut medicus habita ratione ad tempus anni, ætatem & conſuetudinem, alimenta ſuadeat, quæ commode alunt, non implent. Quod ſi plenior fuit victus & varius ad parciorem & ſimpliciorem, non niſi per gradus tranſire ſuadet, & cavere inprimis craſſa & coctu difficilia. Nam ubi ſtomachus laborare cœpit, craſſum & impurum ſenſim per lactea irrepens, facile articulis & renibus ſuggerit morboſum, Apparatus fructuum principibus gratus continet multum tartarei ſucci & facilem corruptionem acidam: hinc improbat fructuum eſum Takenius in podagra. Plus tartarei recondunt in ſinu vina meraciora, inprimis quæ loca pe-

trofa, non tam quæ planities camporum parit. Nam vina tenuiora iis, qui podagra & nephritide tentantur, nocent, quæ ab acido dolores colicos, nephriticos & arthriticos fub teftimonio tot autorum producunt: imo nec ipfa aqua, quæ fæpe materiam lapideam continet, femper laudanda. Præfervat maxime ab illis malis vita exercitata, ob quam cum frugali victu conjunctam, raro illi morbi in tuguriulis rufticorum occurrunt. Hæc vita nec pravos humores gignit nec genitos fovet, fed bene coquit, bene excernit. Nec fomnus in mollioribus culcitris confert renibus. Expetit inter hæc, alvum folutiorem effe, ne primæ coctionis excrementa ferantur in fanguinem, inde ad renes & artus. Semper bene eft inter figna redundantium humorum purgare interdum & fanguinem mittere, quia raro in fobrietatis limite confiftunt, quibus indulgentior fortuna eft. Notat Galenus tali evacuatione fe per annos multos prohibuiffe podagram & imminentem articulorum morbum.

THESIS XI.

Solet facile ex incauto ejusmodi victus regimine in principibus nafci obefitas corporis; maxime fi diathefis corporis fit fanguinolenta vel pituitofa, & cibi inprimis copiofi & boni fucci in vita otiofa ingeruntur. Ita in fanis etiam & bene coloratis vaforum

ſorum plenitudo cum obeſitate naſcitur. Creſcente corporis mole, antequam ſenſibilior fiat, vigilet mature medicus, inprimis ſi gentilitium vitium ſit. Moneat imminentis periculi; naſci non modo ingratam deformitatem corporis, ſed & ſuffocationem interni motus & caloris cum deliquiis & ſuſpirioſo halitu, torpore & ſubita interdum morte. Citius interire ſcribit Hippocrates, qui corporis craſſi ſunt, quam qui gracilis. (Sunt & illi ob molem corporis parum apti ad palæſtram veneream. Hinc plerumque infœcundi. At triſtis eſt principum orbitas, ob turbas in vario jam jure ſucceſſionis.) Bene his Celſus ait: curari hæc mala facilius in ſervis quam liberis, quia famem, ſitim, longam patientiam & tot alia medelæ incommoda vix audet medicus poſtulare. Ergo ab initio occurrendum eſt recto uſu rerum non naturalium. Regula eſt, tantum debere detrahi conſuetis cibis, quantum additur exercitiis. Nam evacuant exercitia, ut equitatio, venatio, fortes & ſiccæ frictiones, alimenta quoque tenuiora & parciora. Abſint pinguia, oleoſa, euchyma: ſumantur acria, ſalinoſa, quæ pingue abſumunt. Multos macilentos reddit ſolius acidi uſus. Hinc ſtrigoſi plerumque ſunt, qui acidis oblectantur, ut hypochondriaci. Somno etiam aliquid detrahatur, vigiliis addatur. Nam ſomno pingueſcunt corpora, hieme inprimis,

vigiliis macrescunt, æstate inprimis. Tribuitur etiam infusis decoctarum herbarum theæ vis siccandi & vigilias pariendi. Non minus prosunt hic purgationes inprimis vere & hieme. Semper hic prodest alvus laxior, vomitus etiam crebros crassis & pinguibus suadet Hippocrates.

Thesis XII.

Non prorsus omittenda diæta principum, qui castra sequuntur, quia inter bellorum usus multa eveniunt, quæ vix caveri omni humana prudentia possunt. Erit in principe duplex offensa sanitatis, nempe insolita magis jam vivendi ratio, & varia deinde sub armis animi sollicitudo. Primum ratione aëris deligendus est in castris locus, ubi degat princeps procul a paludibus & stagnis aquæ. Sæpe campi circumjacentes inundantur, ut ipse aër jam impurus militet contra hostes. Solent maximi morbi castrenses ex aëre vitiato, aquis corruptis & pravis cibis oriri; unde toties febres malignæ & funestæ dysenteriæ: procul a tali mephiti degat princeps. Non ei deficiant bonæ aquæ ad cibos non solum parandos necessariæ, sed in lavando repurgandoque. Hinc inter commeatus, aquæ in vitreis vasis diligenter asservatæ maxime principem comitentur. Sane adsuescendum multis sæpe incommodis in castris est, frigori, ven-

tis, æſtui, vigiliis. Tolerare talia ipſum ſæpe principem oportet, ubi nil magis prodeſt, quam continuo exerceri & roborari corpus, ut multa tolerare diſcat. Huc varium illud (vitæ) genus, quod Celſus limitat, referendum eſt, & temperantia comite, quæ a ciborum & vinorum meraciorum copia inprimis abſtinere jubet. Unde Plato vini uſum in caſtris vetuit iis potiſſimum, qui in imperio conſtituti eſſent.

Thesis XIII.

Sed & de altero cogitandum eſt: ſollicitudinem animi in caſtris frequentem, omni ratione delinire, quod maxime pendet a colloquiis cum viris probis, peritis, exercitatis etiam literatis: ipſa lectio librorum maxime hiſtoricorum, & qui de re militari & morum doctrina agunt, reficere animum poteſt. Ita Lucanus ſcribit, Cæſarem media inter prælia ſtellarum cœlique plagis ſuperisque vacaſſe. Et Auguſtum legimus in caſtris ad Mutinam legiſſe, ſcripſiſſe, declamaſſe. Quæri hic poteſt, an bona literarum ſtudia principe digna ſint? Dedecet ſine dubio plane rudem eſſe; nec decet ſcrupuloſe ſubtilitates ſcientiarum conſectari, ubi ſtomachus primum & vis coctionis, mox ipſum cerebrum contentione nervorum laborant. Nihil tamen horum metuendum eſt, ſi ad oblectamentum & cultum animi mo-

dice ſtudia principes colunt. Peropportunum eſt inſtituta jura & mores gentium probe tenere, & continent ſine dubio hiſtoriarum monumenta, ipſa præcepta bene regendi populi. Sufficit viros circa ſe habere eruditos, & more Franciſci I. audire illos ſelectiora ex ſuis diſciplinis tradentes. Ita alienæ lucubrationis fructus quaſi in compendio colligunt: ſic parvo conſtat principibus eruditio, quæ magno conſtitit privatis.

THESIS XIV.

Major cuſtodia ſanitatis in principe ſene requiritur. Diæta contraria requiritur in ſene quam puero. In hoc, dum creſcit calor & robur, merito creſcit etiam alitura: in ſene ubi languor vitæ creſcit, minui alitura debet. Seni poſtremæ ætatis convenit, quod lucernis pene extinctis, quæ parca & continua olei ſubvectione egent. Parcior tunc ſit victus & ſimplicior, boni tamen ſucci & promtæ coctionis & facile ſecedens, qualis eſt tenera caro vervecum & pullorum juniorum & maxime volatilium. Abſit jam varietas & conditura principum menſis tam familiaris. Juſtam aſſumtorum menſuram docet tenſio & gravitas in ſtomacho nulla, ſomni faciles, alitura commoda. Jejunium ait Hippocrates a ſenibus facile ferri: hinc multi requirunt, ſemel tantum eos de die edere. Verum Hippocratica ſententia eſt;

citius ſeneſcere, qui unicæ comeſtioni de die adſueſcunt. (Non debet in otio eſſe ventriculus). Fit in magnis culinis impar ſæpe coctio ab igne nunc violento nimis nunc lento nimis. Hinc præſtat pro ſene principe habere coquum, qui ſingula ſumma attentione paret, magis ut proſint, quam bene ſapiant: etiam in hoc oppoſitum eſt ſenis & pueri vitium, ut hic laxior ſit alvus, ibi ſtrictior. Nam concurrunt in ſene vita minus exercitata & ipſa ariditas partium, quæ vim & ſtimulum excretionis amittit. At molliant cibi non medicamenta, quæ crebro ſumta per ſe ventrem adſtrictiorem reddunt. Metuimus tamen magis alvum nimis laxam quam adſtrictam (in ſene). Liſterus viri admodum ſenis meminit, qui liberaliter edens tamen ſemel intra ſeptimum imo bis ſeptimum diem alvum per plures annos dejecit, ſine incommodo valetudinis. Pro potu, uti in junioribus vinum tenue & dilutum, ita in ſenibus paulo meracius ſit inprimis hieme. Facit multorum judicio ad vitam ſanam & longævam vinum dulce & defœcatum ex uvis maturis & perfectioribus. Uſus nivis in menſis principum familiaris limitetur valde in ſenibus. Sufficiat in ſummo æſtu modice vinum aqua perfrigerare, hieme in loco tepido ſervare. Nam frigent effœtæ partes, nec frigidam potionem ferunt. Plus congruunt ſorbillando potus ca-

lidiuſculi Theæ, Coffee. Exercitia in corpore ſenili haud penitus remittant, ut perſpiret, quod in ſtrigoſâ cute difficilius quam molli juvenili calente: modice tamen ſe exerceat ſub tecto potius loco quam aprico, inprimis ventoſo & in hieme. Accedant exercitio frictus cum oleo amygdalarum dulcium ad laxandas vias cutaneas. Præterea corpus idoneis veſtibus contra aëris injurias muniatur, & caput capillis minus tectum, tegatur magis; hinc comæ adſcititiæ repertæ, tum elegantiæ tum ſalubritatis cauſa. Ratione ſomni ſuadendum, ut princeps ſenex eum tempeſtive capiat, nec poſt cœnam agat, quod mentem diſtrahit, more Auguſti, qui nunquam aliquid poſt cœnam ſcribere vel legere voluit. Nulli ætati magis neceſſarius ſomnus eſt, quippe quo coctio jam torpens magis perficitur, & ſiccitati conſulitur. Denique oblectamenta ſpectamus illam ætatem decentia, quo referunt multi ipſum conſortium juvenile & longævos ex juvenum frequenti conſuetudine multos enumerant, ut Pythagoram, Iſocratem, Gorgiam. Ceterum id probe notetur, bellum ſenectuti non gravius imminere, quam poſt intemperantiam in juventute commiſſam.

CAPUT VI.

DE DIÆTA LITERATORUM.

Thesis I.

Literatorum imbecillior valetudo eſt ex vita maxime ſedentaria nervorumque intentiori contentione. Unde Celſus diſciplinam literarum ut animo præcipue neceſſariam, ſic corpori inimicam dixit. Ex illa enim ſpirituum conſumtione & ſubſequente debilitate coctionis motusque interni ſequuntur frigus, pituita, hebetudo, malum hypochondriacum & ſimilia. Multi inter protractas temere meditationes negligunt ſimul præſidia ſanitatis reliqua inter crebros errores circa victum potumque, inopiam ſomni & alia, nec cogitant ut Plinius monet vacandum corpori eſſe, cujus fulcris ſuſtinetur animus. Merito contra hæc (mala) vigilat diæta victu moderato & ad certa tempora reſtricto, liberali ſomno, exercitatione alterna (corporis) & tranquillitate animi, quæ & alia in potioribus momentis ſuis non nihil conſiderabimus.

Thesis II.

Aër purus lucidusque multum vitalis pabuli ſuggerit, vigoremque in ſenſu & motu dat, judice Hippocrate. Ita melior puriorque aër Athenarum civibus acutiora; pejor & craſſior Thraciæ & Bœotiæ incolis torpentiora ingenia tradidit. Eligant literati, ſi poſſint, ædes altiores, lucidas & aëre perflatas, maxime verſus orientem. Veluti ver temperatum præ aliis anni temporibus convenit ingeniorum ſtudiorumque exercitio: ita muſea, quam prope fieri poteſt ad illam temperiem accedant. Non ſint calefacta nimis; hinc nec literati ambulent facile in ſole, niſi ſenes, quippe qui cum multum nativi caloris perdiderint, ſolibus apti Horatio dicuntur. Plus frigida muſea nocent, quod nervis, quorum vegetior functio requiritur, nil nocentius ſit frigore. Defendant vero a frigore inprimis veſpertino caput pedes & ſtomachum. Aër humidus valde etiam noxius, lignis, floribus odoriferis corrigatur. At ab aëre nullo plus ſibi caveant, quam impuris halitibus pleno qualem in anatomicis theatris, chymicis officinis & cubiculis ægrorum morbo putri & contagioſo laborantium vix evitare ſemper medicis licet.

THESIS III.

Cibus coctu facilis ſit & boni ſucci, qui ſine magnis coctionum præſidiis probum ſanguinem & agiles ſpiritus gignit ; nihil autem iis, qui cerebro & ſtomacho laborant utilius eſt. Haud jejunia laudamus, quæ neceſſariis viribus corpus defraudant. Probamus potius illud Wedelii ; quantum decedit cibo & potui, tantum quoque decedere ſanguini, ſpiritibus & viribus. Nullis tamen quam literatis nocentior eſt intemperantia, quæ non ſatiat, ſed onerat, non reficit vires ſed opprimit, ventrem gravat, ſpiritus turbat, ingenium obtundit. Non recte mente uti poſſumus inquit Cicero, (cibo repleti). Victus ex ſententia Ariſtotelis diſpares vitas facit : vel quæ ſunt verba Hippocratis, ipſe animus ex diæta melior & deterior fieri poteſt. Cenſuit Carteſius a medicina exſpectari poſſe, quod hominem ingenioſiorem reddat. Ita ajunt Gallorum ſanguinem mobiliorem, animum agiliorem eſſe a juſculis carnium, tenerisque carnibus avibusque : Belgarum ſanguinem craſſiorem eſſe, animum tardiorem ex leguminibus, caſeis, cibis conditis. Igitur literatis non facile cibus exhibeatur, qui ſanguinem craſſum parit, & hinc menti caliginem offundit, ut dura, viſcoſa, ſalita, carnes vetuſtæ, legumina, caſei, ova dura &c. Sæpe ta-

men fit, ut literati noxia ejusmodi appetant & ingurgitent, ſalubria faſtidiant. Interim non negamus, aſſuetis aliquid cibi inſalubris valde appetiti concedendum eſſe. Præſtat tamen ſemper juniorum animalium carnibus, eorumque juſculis pauco aromate conditis, vitello ovi, æſtate etiam lacte victitare, idque moderate pro indigentia corporis debilius coquentis: nec edant diſtracti adhuc & meditabundi, quales nunquam de ſelectu cibi, de proba maſticatione, de juſto tempore cogitant.

THESIS IV.

Potu largiori egent literati, ut circulatio & ſecretio in majori humorum fluxilitate melius procedat, nec retardentur excernenda. Neque tamen ſub majori menſura mergere debent animum protractis ad noctem potionibus; facile attenta obſervatio juſtam & convenientem menſuram determinat. Calidi & cholerici potent aquam, (maxime adulta ætate) quos hinc acrioris ingenii eſſe exemplo Demoſthenis illuſtrat Rhodiginus. Utiliſſimum quoque aquæ potum catarrhoſis Bartholinus Puſqueti, vinum nullum podagricis Bruyerinus cenſet. Nec contemnendæ utilitatis eſt potus aquæ calidæ herbis balſamicis infuſæ. Tardi vero & pituitoſi ſenes, qui magis læduntur potu aquoſo præferant cereviſiam bene coctam & defecatam, diu-

reticam & ſtomachicam, nec craſſam nimis nec lupulatam. Vinum, quod mentis medicinam Plato dixit, debili provectiorum ventriculo convenit. Certe ingenioſiores videas gentes vino aſſuetas; verum ſi vegetiorem vitam facit vinum, reddit etiam breviorem (ſtimulo ſuo.) Certe ſub exceſſu facile mergit divinæ auræ particulam, modicum & dilutum nulli facile diſſuademus. Inter potus improprie ſic dictos fumum tabaci in aëre craſſiori pro pituitoſis & catarrhoſis non improbamus, nimius coctionem turbat vi narcotica, ſpiritus figit & actionem animi pervertit.

THESIS V.

Vigilias nimias & lucubrationes, quæ ſpiritus exhauriunt, corpus debilitant, cruditates gignunt, literatis infeſtas eſſe conſtat. Ferre multi lucubrationes nocturnas eo facilius ſibi videntur, quod noctis ſilentium faveat, & intermiſſus ſomnus ſarciri diurno poſſit. At male permutantur dierum noctiumque miniſteria. Plus ſemper vigoris inſpirat lux diei, quam frigus noctis & inſtabilis candelæ ſplendor oculos præſtringens, pulmonesque pravis halitibus inquinans. Blondelli cœcitatem inde natam Witſius memorat. Noctuas dixeris, ut olim Chærophontem, qui ſummam ſibi lucubrando maciem contraxit. Nec multo melius ſibi con-

ſulunt, qui in ipſo lecto meditationibus indulgent : hinc inſomniis fatigantur, ut mane pro levamine torpor ſit. Quorundam ſomnos neceſſitas officii interrumpit, ut ſacerdotum ſæpe & medicorum, quos omnium horarum homines (ſervos) eſſe ſors ſua vult. His quidem quando poſſunt, ſomnus capiendus eſt, at quantum licet opportuniores horas haud negligant. Omnes vero literati meminerint, maxime debiliores, ſomnum ſibi protractiorem inter iſta ſpirituum impendia maxime convenire, a quo coctio major & nova ſpirituum ac virium geneſis pendet.

THESIS VI.

Juſtum ſit motus & quietis moderamen, dum pedem vix movent in muſeo ſellis affixi inter meditandum ſcribendumque, neceſſe eſt lentos acresque humores ſtaſi ſua morbos hypochondriacos, arthriticos, calculoſos & cachecticos parere. Nec vero minus nocet corpus impurum valido motu exercere. Haud Cyri præceptum hic ſuademus ad cujus menſam nemo ἀνύδρωτος (i. e. ſine ſudore) accedere debuit. Sufficit moderata exercitatio mane vel ante paſtum in aëre ſereno, ut & ipſo muſeo frequens ambulatio. Plinius Spurinnam ſcribit ſenem habuiſſe ſenſum vigorem & agile corpus. quod ut animum ſcientiis, ſic corpus am-

bulatione matutina aliisque motibus exercuit. Socrates ipſe ſanitatis cauſa ſaltare didicit, & contentius veſperi ambulavit, ut bene cœnaret. (Motu enim acui appetitum & cruda abſumi dubium non eſt.) At non niſi lente & poſt correctas evacuatasque corporis impuritates tranſeundum eſt ad equitationem & alios majores motus. Pejor conſuetudo eſt ſtare ante pulpita vel curvo diu deſidere corpori & nutante capite, preſſis perpetuo abdomine interaneis; hic excrementa & flatus ſufflaminantur, ibi œdematoſi tumores pedum metuendi ſunt, & magna laſſitudo ex tenſione ad tonum muſculorum ſervandum. Igitur crebros motus interponantur, eo magis ubi viget appetitus & voracitas ad plethoram ducit.

THESIS VII.

Ratione excretorum & retentorum notamus: inter nimias meditationes ſub vita ſedentaria ſupprimi excretionum ſtimulos, feces indurari, alvum torpere, lotium, in quo ſtagnante plus mucida & arenoſa ſecedunt, retineri, maxime diaphoreſin in illa corporis quiete lædi. Contrario excernuntur interdum retinenda, dum e. c. uſu tabaci ſalivam prodigunt, errhinis ſerum excutiunt & caput debilitant. Velut hæc mala ſeri & ſalivæ accumulatæ vel ſtagnantis non male moderato tabaci & errhinorum uſu præcavent;

ita nimio consumunt. Bene faciunt, qui stata tempora observando necessariis excretionibus adsuescunt. (e. gr. alvum certis horis excernunt.)

Thesis VIII.

Commendandus præterea est animus sibi constans & nullis affectuum fluctibus jactatus. Bene dixit Plato, animum bene affectu necessario corpus optimum reddere. Lucianus ideo longævis adnumerat philosophos, quod affectus animi reprimere didicerint. At his æque quam aliis eruditis gravissimi sæpe sunt affectus & morbi animi, quos non facile exuunt, ambitio, fastus, invidia. Nec vero sincerior medela est his vitiis, quam doctrina morum & sacræ religionis. At etiam habent eruditi præ aliis, quod inter nimias speculationes & repertarum veritatum solatia componat, oblectet & tranquillet animum.

Thesis IX.

Sciant etiam eruditi musas & minervam virgines esse, & judice Platone nullam magis ingeniorum pestem, quam nimis in castris venereis versari. Nil crebro coitu magis nervorum & cerebri robur debilitat, frigent superiora, dum inferiora calent. Hinc literatis exigua vis generandi tribuitur, vel si generent imbelles fœtus ominantur.

Thesis X.

Maximorum vero morborum hic radix eſt intemperantia. Durant moderata, at noxia ſemper ſunt moroſe protracta ſtudia imo ipſos profectus ſufflaminant. Bona quidem temperies cerebri vincit aliquando, at intenſa nimis profunda & perpetua meditatio exhauſtis ſenſim cerebri nervorumque viribus vertigines, deliquia & inter vitia coctionis ac ſtaſes maxime in hypochondriis torporem corporis & hebetudinem etiam mentis parit. Juſta quædam in ſtudiis remiſſio acuit ingenium & exaltat vires, ut inter inducias ad illa majori impetu redeant. Sydenham podagræ & calculo obnoxius, ſibi revocavit hos morbos quoties vim meditandi intendit. Fugiatur inprimis brevi a paſtu illa contentio virium, quæ peracta coctione maxime ſub horis matutinis certiori ſucceſſu gaudet: hinc muſis ſacra aurora dicitur.

Thesis XI.

Iis, qui ſui juris non ſunt, & officiorum vinculis irretiti, tam ſtrictis obtemperare diætæ legibus nequeunt, non omnia, quæ diximus, ſuaderi, certe non ad definita tempora reſtringi poſſunt. Videant illi, an verno tempore vina medicata vel acidulas thermasque ad abſtergenda viſcera & roboranda trahere in uſum ſuum poſſint. Reliquo

tempore infuſa calida herbarum ſub juſto delectu locum teneant. Nec vero nimis ſero & oſcitanter ad ſilentes ab initio morbos attendant, nec facile officiorum urgentium neceſſitas tanta erit, ut fas ſit ingruentis morbi & gravius irrumpentis inſidias expectare.

